Notes du mont Royal

www.notesdumontroyal.com

Cette œuvre est hébergée sur « *Notes du mont Royal* » dans le cadre d'un exposé gratuit sur la littérature.

SOURCE DES IMAGES

NuBIS


L. G. Q. 46.72 (in 4°

ARISTOTELIS
ad Nicomachum filium de *Moribus, quæ Ethica nominantur, libri decem.*

Ioachimo Perionio interprete, per Nicolaum Gruchium correcti & emendati.

Additis ab eodem in singulos libros annotationibus.

Cum locuplete rerum in iisdem memorabilium Indice, & Argumentis in singulos libros nunc primùm adiectis.



PRYTANEE * BIBLIOTHEQUE * R F

BIBLIOTHEQUE NATIONALE

PARISIIS,
Apud Iacobum Nicole è Regione scholæ Remensis.
1584.

INDEX IN DECEM LIBEROS
Ethicorum Aristotelis.

Cuius a pri[illegible], b verò secundam paginam indicat.

A

ACERBI ægrè placantur, ni vlti sint iniu[illegible]. 52.a
Ἀφίχολοι qui dicuntur. ibidem
Actio omnis circa res singulas versatur. 27.a.78.a
Actiones virtutis per se iucundas. 10.b
Actiones vitæ dominæ sunt. 12.b
Actiones quomodo inter se differunt. 133.a
Actum assiduum humanæ res non possunt pati. 133.a
Actus alij sunt necessarij, & propter aliud expetendi, alij per se. 134.a
Adolescens cur prudens esse non possit. 75.b
Adolescentes constanter & moderatè viuere difficile est. 140.b
Æquabile in quibus rebus positum. 61.b
Æquitas quid. 69.b
Æquum & bonum quid à iure differant. ibidem
Æterna nec oriri nec interire possunt. 74.a
Agrestes & duri qui. 55.a
Alimenta parentibus à liberis debent suppeditari. 116.b
Amabilia sunt, bona, iucunda, & vtilia. 100.b
Amicitia ad vsum vitæ est necessaria. 99.b
Amicitia non solùm est necessaria, sed etiam honesta ac præclara. ibidem
Amicitia inter natos & parentes inest natura. ibidem
Amicitia ciuitates continet. ibidem
Amicitia si inter omnes esset, nihil esset quod iustitiam desideraret. ibidem
Amicitia nõ est in iis quæ inanimata sunt 101.a
Amicitia perfecta quid sit. 102.a
Amicitia senum vtilitatis gratia suscipitur. 101.b
Amicitia iuuenum voluptatis gratia ferè constituitur. 102.a
Amicitia omnis aut ad bonum, aut ad voluptatem dirigitur. 102.b
Amicitia permanet diutissimè cùm ab amicis paria vtrinque præstantur. 103.a
Amicitia in quibus non permaneat. ibidem
Amicitia solet permanere, inter eos qui moribus similes consuetudine adiuncta existunt. ibidem
Amicitia bonorum sola criminationibus caret. 103.a
Amicitia perfecta cum multis esse non potest. 104.b
Amicitia inter virum & vxorem inest natura. 111.a
Amicitia quę vtilitatis causa comparatur, duplex est, vna moribus, altera legibus constat. 109.a
Amicitia exigit non quod quisque dignus est, sed quod præstare possit. ibid.
Amicitia cum quibus iucunda. 117.a
Amicitia inter nullos intercedere potest, qui nõ antè coniuncti sint beneuolentia. 109.b. 110.a
Amicitia ciuium inter se, est concordia. 119.b. 120.a
Amicitia mœrores & luctus facit leuiores. 126.a
Amicitiæ tria sunt genera. 101.b

Amicitiam non tollunt locorum. interualla. 130.b
Amicitiam citò adoleſcentes inſtituunt, ſenes non item. 104.b
Amicitiæ quæ propter voluptatem, aut vtilitatem ſuſcipiuntur, facilè diſſoluuntur. 101.b
Amicitiæ inter patrem & filium, virum & vxorem ſunt diuerſæ. 105.b
Amicitiæ quas vtilitas conſtituit plenæ ſunt obiurgationum & querelarũ. 111.b
Amicitiæ quæ retinendæ, quæ non. 117.a
Amicus quis verè dicatur. 117.b
Amicus eſt alter idem. 118.b
Amici munus & officium. 99.b
Amici boni eſt ſubuenire egentibus. 119.b
Amicóne an bono viro potius ſubueniendum. 115.b
Amico in bonis externis nihil melius. 123.b
Amici in paupertate cæterisque aſperis rebus vnicum ac ſingulare perfugium ſunt. 99.b
Amici ſtabiles & conſtantes qui. 106.b
Amici ſintne plurimi parandi. 125.a
Amici an rebus ſecundis aut aduerſis deſiderentur. 126.a
Amicorum opera quæ fiunt, per nos fieri dicuntur. 30.b
Amicorum proprium eſt, vitæ ſocietas & communio. 104.a
Amicorum omnia communia, prouerbiũ. 107.b.&121.b
Amicis mala parcè ſunt cõmunicãda. 126.b
Amicos oportet ſe mutua beneuolentia complecti, & ſe vltro citróque, bonis affici. 101.a
Amicos ſinere peccare, probos non decet. 107.a
in Analyſi poſtremum, primum eſt in rei ortu. 30.a
Anaxagoræ de beatis ſententia. 139.b
Animalium nullum præter hominem beatum. 11.a
Animus quibus rebus verũ enunciet. 73.b
Animi bona, veriſimè eſſe bona. 9.a
Animi duæ ſunt partes. 14.b.72.b
Animi partis quæ rationis eſt particeps duæ ſunt partes. 72.b
Animi pars quæ rationis particeps, quo differat ab ea quæ expers. 73.b
in Animo ſunt tria, quæ in actione & veritate dominãtur, ſenſus, mẽs, appetit'. 72.b
Arrogans quis. 53.a
Arrogans non poteſtate ac facultate, ſed agendi conſilio cernitur. ibid.b
Ars quid. 74.a
Ars omnis bonum aliquod ſibi proponit. 1.a
Ars & fortuna quodammodo in iiſdem rebus verſantur. 74.b
Ars omnis in ortu verſatur. ibidem a
Ars quid moliatur & ſpectet. ibidem
Artium atque virtutum differentia. 19.a
Aſini ſtramen malunt quàm aurum. 133.a
Aſſentator omnis eſt amico inferior. 106.a
Ἄσωτος quis. 41.b
Auaritia duabus in rebus cernitur, ſi minus largiare, quàm oportet, & ſi modum accipiendo tranſeas. 44.b
Auaritia magis à natura tributa eſt hominibus, quàm prodigalitas. ibid.a
Auaritiæ crimen cui tribuatur. 41.b
Auaritiæ multa genera numerantur. 44.a
Auaritiæ malum inſanabile eſt. ibidem
Audax quis dicatur. 35.a
Audax, fortis & timidus in iiſdẽ rebus verſantur, ſed non eodem modo. ibidem b.

B

Beata vita in luſu cur ſita non ſit. 136.a
Beata vita nihil deſiderat, nullo eget, ſed ſeipſa contenta eſt. ibidem.b
Beata vita eſt finis & extremum omnium. 136.
Beatitudo quid. 14.a. &135.b
Beatitudo cur mãcipio nõ tribuatur. 136.a
Beatitudo cur non eſt habitus. 135.a
Beatitudinem vulgus in voluptate ponit. 3.b. expoliti homines in honore. ibidem
Beatus ex Solonis ſententia. 11.a
Beatus quis. 12.a
Beatus eget externis bonis. 10.a
Beatus in vita hac an quis eſſe poſsit. 11.a
Beatus omnia fortunæ tela forti animo perfert. 11.b
Beatus nemo miſer eſſe non poteſt. 12.a
Beatus inuitus nemo. 31.b
Beatus indiget bonis externis, cùm homo ſit. 139.b
Beato amicis opus ſit nécne. 123.a
Beato modicæ opes ſufficiunt. 139.b
Bella ſuſcipimus, vt in pace viuamus. 137.a
Belluæ non ſunt participes conſilij. 28.a
Belluæ cur impotentes non ſint. 87.a

Belluæ rerum singularum visis & recordatione tantùm mouentur. ibidem
Belluæ non habent rerum vniuersarum comprehensionem. ibidem
Belluæ nec temperantes nec intemperantes sunt. 90.b
Beneficium qui accipit, est inferior eo qui dedit. 49.a
Beneficium qui accipit, par est redderc 112.b
Beneficium accipere nullius est negotij, dare arduum. 121.a
Beneuolentia repente ac subitò fit. 119.a
Beneuolentia quid ab amicitia differat ibidem.
Bestiarum nullum vitium est, nullaque virtus. 83.a
Blandi homines qui. 53.a
Bonũ quò maius, eò magis expetendũ. 7.b
Bonum quid. 1.a
Bonum finitum & malum infinitũ Pythagoræorum sententia. 20.b
Bonum dupliciter dicitur. 95.b
Bonum id est quod malo aduersatur. 97.b
Bonum omne coniunctum cum alio optabilius est. 129.b
Bona animi, verissimè esse bona. 9.a
Bona sola amore digna sunt. 108.a
Bonorum duo genera. 6.a
Bonorum tria genera. 9.a
Bonorum aliud actu, aliud habitu cernitur 95.b
Bonorum externorum maximum, est gloria. 47.b
Bonis externis indiget beatus 10.a
Bonus ab improbo in sumno non differt. 14.b
Bonus vir delectatur honestis actionibus. 10.a
Breues homines sunt quidem vrbani & faceti, formosi non item. 47.b

C

CAsus diuersi. 12.b
Celtæ neque maris tempestates, neque motum terræ metuunt. 35.a
Chariora nobis sunt ea, quæ labore parta sunt. 121.a
Charitas maior debetur ei qui melior est, quàm ipse alteri. 105.b
Cibi cupiditas naturalis est. 39.a
Ciues quibus rebus excitari debeãt ad subeundà pericula. 35.b
Ciuilis scientia domina est omnium. 1.b
Ciuilis scientia præstantior medicina. 14.a
Ciuitas ex quibus rebus constet, & quo modo conseruari debeat. 62.b
Ciuitatis regendæ optima ratio secundum naturam ducitur. 65.b
Ciuitates in concordia esse quæ dicantur. 120.a
Clemens & mansuetus quis. 51.a
Clementia quid. ibidem
Clementiæ magis repugnat iracundia, quã id quod à modo deficit. 51.b
Cognitio rerum vniuersarum, à singularũ cognitione ducitur. 80.a
Comis & facilis, quis dicatur. 52.a. & 53.a
Concordia quid. 120.a
Concordes qui dicantur. ibidem
Coniunctio fratrum, timocratiæ similitudinem refert. 109.a
Consilium versatur in iis quæ sunt in nostra potestate. 28.b
Consilium ad finem spectat. 29.a
Consiliũ non est eorum quæ fieri nequeũt. ibidem.
Consilij principium appetitio est, atque ea ratio quæ ad finem aliquem pertinet. 73.a
Constantia & patientia est in resistendo, cõtinentia in vincendo. 91.b
Consuetudo longo tempore fit. 10.b
Consuetudinem mutare quàm naturã facilius est. ibidem
Consuetudine virtus moralis comparatur. 15.b
Consultatio non est de iis quæ secus accidere non possunt. 74.b
Consultatio non est præteritorum. 73.b
Contemplatio Deorum est propria. 138.b
Continens quis dicatur. 82.b. & 93.a
Continentes consilio, non cupiditate ducuntur ad agendum. 28.b
Continentia quid. 94.a
Continentia virtus non est, sed mediæ ac mixtæ naturæ. 55.b
Contractus voluntarij qui dicantur 60.b
Contractus præter voluntatem. ibidem.
Contractuum alius voluntatis est, alius fit nobis inuitis. ibidem
Contumelias & conuitia æquo animo ferã

re ſeruile eſt. 51.a
Cupiditas omnis eſt cum dolore coniuncta. 39.b
Cupiditate quæ agimus, oblectationem habent. 27.a
Cupiditatum aliæ communes, aliæ propriæ. 39.a
Curationes ex contrariis efficiuntur. 17.b

D

DEfectio vituperatur. 20.b
Deformitates à natura tributæ, nemo vituperat. 32.b
Deliberatio cõſilij capiendi in quibus rebus cernitur. 29.a
Deliberatio bona quid ſit. 79.a
in Deliberationem quæ cadant. 28.a.& b
Deliberatio eſt eorum quæ ad finem pertinent. 30.a
Deus vna, eáque ſimplici voluptate ſemper fruitur. 99.a
Deus curat res humanas. 140.a
Deo & parentibus nemo parem gratiam referre poteſt. 114.a
Deo ſunt chariſſimi homines qui mentem rectè excolunt. 140.a
Deo contemplatio conuenit. 138.b
Diis hominibúſque non eadem conueniunt. 46.b
Diuinum quiddam natura eſt inſitum omnibus. 97.a
Diſſimulator quis. 53.a
Docti iucundiorem traducunt vitam inſciis 136.b
Doctrina alia inductione, alia ratiocinatione comparatur. 75.b
Doctrina omnis ex anteceptis animo rei informationibus gignitur. ibidem
Dolor naturam eius in quo eſt, à ſuo ſtatu dimouet ac labefactat. 40.a

E

ELati & ſuperbi, qui dicantur. 50.a
Endymionis ſomnus. 139.a
Εὐβουλία quid. 78.a
Eudoxi de voluptate ſententia. 128.b
Εὐγνώμονες qui dicantur. 79.b
Εὐλαβεῖς qui dicantur. 54.b
Experientia quibus neceſſaria. 142.b
Exuperatio in peccatis cenſetur. 20.b

F

FAceti & feſtiui qui dicantur. 54.b
Facilis & comis quis dicatur. 53.a
Facultates, quæ ſint. 19.b
Facultates cur virtus non ſint. ibidem
Factum, quod non poteſt eſſe non factum. 71.b
Filio non eſt conceſſum vt patrem abdicet atque ableget 113.b
Finis vnus rerum omniũ agendarum. 7.a
Finis rerum humanarum in beatitudine ſitus eſt. 135.a
Fine res quæque definitur. 34.b
Finium differentiæ. 1.a
Fœlicitas omnis cum voluptate coniũcta eſt. 95.a
Fœlicitas perfecta in contemplatione conſiſtit. ibidem
Fœlicitatem propter ſe optamus. 7.b
Formidoloſa non eadem omnibus. 34.b
Fortis quis. 17.b.33.b.&34.a
Fortis in rebus maximis cernitur. 33.b
Fortis officium. 37.a
Fortis, audax & timidus in iiſdem rebus verſantur, ſed non eodem modo. 35.a
Fortitudo quid. 35.a
Fortitudo ciuilis quæ dicatur. 35.b
Fortitudo in quibus rebus verſetur. 39.b
Fortitudinis quinque genera. 35.b
Fortitudinis finis iucundus eſt. 37.b
Fraterna amicitia qualis eſſe debeat. 110.b

G

Γαστρίμαργοι qui dicentur. 39.b
Gloria eſt bonorum externorum maximum. 47.b
Gloria quo quiſque melior, eo maiore digno eſt. 38.b
Γνώμη quid. 79.a

H

HAbitus qui ſint. 19.b
Habitus contrarius ex cõtrario ſæpe intelligitur. 57.a
Habituum omnium eſt ſcopus quidam propoſitus. 72.a
Heroica virtus quæ. 83.a
Homo eſt auctor & procreator actionum quaſi liberorum. 31.b
Homo eſt omnium animalium præſtantiſ-

simum. 76.a
Homo malus plura infinitis partibus mala potest afferre quàm fera. 91.a
Homo ad coniugium est propensior, quàm ad communem societatem. 111.a
Homo est ad ciuilem congregationem & vitæ coniunctionem natus. 107.b
Hominis officium proprium. 8.b
Hominis summum bonum. 9.b
Homines cùm ita commoueantur, dolent: cùm sumunt supplicum, & sese vlciscuntur, gaudent. 36.b
Homines breues sunt quidem vrbani & faceti, aptáque membrorum compositione prædíti, formosi non item. 47.b
Homines quidem circa Pontum sunt, qui cruda & humana carne vescuntur. 89.a
Homines sunt propensiores ad accipiendum beneficium, quàm ad dandum. 120.b
Honos cur non summum bonum. 4.a
Honos solis bonis debetur. 48.b
Honos ei non habetur, qui in Remp. nihil boni contulerit. 113.a
Honos & gloria est virtutis & beneficentiæ præmium. ibidem
Honestarum rerum memoria, iucunda est. 121.a
Humana sapere non debemus, sed niti ad immortalitatem. 137.b
Humanæ res non possunt actum assiduum ferre. 132.b

I

IDeas Platonis labefactat Aristoteles 5.b
Ignauus quis dicatur. 45.a
Impotens quis. 88.a
Impotens cur sanabilis. 91.b
Impotens similis est ciuitati quæ præclaras leges statuit, sed iis non vtitur. 94.b
Impotentes ad agendum cupiditate, non cõsilio ducuntur. 28.a
Impotentia cupiditatum, iræ impotentia turpior. 90.b
Impotentia acutorum & atra bili hominum est temeraria & præceps. 92.a
Impotentia non est vitium, nisi aliqua ex parte. ibidem
Improbitas spontanea est. 31.b
Improbus quis. 18.b
Improbi quæ facienda quæque fugienda sunt, ignorant. 27.a
per Imprudentiam & ignorationem qui delinquunt, in his veniæ locus esse debet. 67.a
Incontinens quis. 83.b
Incontinentia ex quibus rebus nascatur. 85.a
Indigentiam causam esse cur homines inter se contrahant. 63.a
Inductione, principia & res vniuersæ colliguntur. 74.a
Inertia quid. ibidem
Iniqui qui sint. 57.b
Inopiæ & indigentiæ subsidium est quæstus lucrúmve. 112.a
Iniuria quid sit. 65.b
Iniuriam facere est alicui sua sponte nocere. 66.b
Iniuriam sibi facere an quis possit. ibidem
Iniuriam accipere quàm inferre leuius est 66.b
Iniustitia quid. 64.a
Iniustos sponte sua quis efficiatur. 32.a
Iniustus qui semel esse cœpit, amplius iustus fieri non potest. ibidem
Iniustus quot modis quis dicatur. 67.a
Iniusti ab iniuria differentia. 64.b
Iniustum omne aut est natura, aut instituto. ibidem
Intelligentia quid. 77.b
Intelligentia est principiorum. 75.b
Intemperans quis. 17.b. & 88.a
Intemperans cur insanabilis. 92.b
Intemperans est peior impotente. 93.a
Intemperantes maximè ex tactu delectantur. 38.b
Intemperantia quid. 39.b
Intemperantia magis est nostræ voluntatis quàm timiditas & ignauia. 40.a
Inuentis facilè est addere. 8.b
Inuitus agere quis dicatur. 25.b
Inuiti quæ facimus molestiam afferunt. 27.b
Iracundi qui dicantur. 51.b
Irasci in quibusdam rebus licet. 28.a
Iucunda omnes sequuntur. 128.b
Iudex velut animatum ius est. 61.a
Ius est duplex, alterum non scriptum, alterum legitimum. 112.a
Ius naturale quid. 65.a
Ius ciuile quid. 64.b
Ius legitimum quid. 65.a
Ius ciuile aut est naturale aut legitimum.

ibidem.
Ius distributum ad geometriam, commutatiuum ad arithmeticam proportionem, pertinet. 51.b
Ius in quatuor rebus, vt minimum consistit. 60.a
Ius vnà cum amicitia augetur. 107.b
Iura humana non idem vbique valent 65.b
Iura locum habent inter eos, inter quos eorum quæ simpliciter bona sunt, communio est. 64.b
Iustitia quid. 64.a
Iustitia & iniustitia in quibus rebus versentur. 57.b
Iustitia omnium virtutum sola in bonis alienis ducitur. 58.a
Iustitia omnium virtutum præstantissima. 58.a
Iustitiæ plura esse genera. 59.a
Iustum quid. 57.a
Iustus nondum is est, qui res iustas facit. 81.a
Iuuenis non est idoneus auditor ciuilis scientiæ & quare. 2.b
Iuuentus quomodo instrui debeat. 18.a

L

Labor omnis durus ac molestus. 37.b
Laborem solitudinémque fugere mollis est animi atque effœminati. 35.b
Laborem continuum ferre non possumus 136.a
Labore parta chariora. 121.a
Lacedæmonij curam habuerunt educationis ac disciplinæ. 141.b
Lex præscribit ex quaque virtute viram degere. 59.a
Lex talionis. 62.a
Lex omnis est generalis. 69.b
Lex ea vetat quæ non iubet. 70.a
Lex est ratio quædam à prudentia & mente profecta. 141.b
Legis munus quid sit. 57.b
Leges qui ignorant, puniri debent. 32.b
Legibus boni efficimur. 142.a
Legitima omnia in iustis esse numeranda. 37.b
Liberalis quis dicatur. 42.a
Liberalis in quo laus versetur. ibid.
Liberalis potius est dare quàm accipere. 41.a
Liberalitas quid. 41.b
Liberalitas ex animi habitu spectanda non ex beneficiorum multitudine. 42.b
Liberi parentibus alimenta debent suppeditare. 116.b
Liberi cur matribus chariores. 121.a
Liberi sunt viri & vxoris commune bonum & vinculum. 111.a
Liberis qui carent, facilius dissociantur. ibidem
Ludendum, vt serias res agere possimus. 136.a
Ludus quid. 92.a

M

Magistratus virum ostendit, Biantis sententia. 58.a
Magistratus est custos & conseruator iuris. 64.b
Magnanimus quis dicatur. 47.a
Magnanimus liberè quæ sentit solet dicere 49.a
Magnanimi proprium quid 48.a
Magnanimi viri esse qui dicantur 49.a
Magnificentia in quibus rebus versetur, & quid à liberalitate differat. 45.a
Magnificus quis dicatur. ibidem
Magnificus scienti similis est. ibidem b
Magnifici viri est domum conuenienter suis opibus ædificare. 46.b
Magnitudo animi in quibus rebus versetur. 47.a
Magnitudo animi est quasi splendor & ornamentum virtutum omnium. 49.a
Malum minus speciem boni gerit. 57.b
Malum minus, potius quàm maius eligendum. 60.b
Malo quod aduersatur bonum est. 87.b
Malis ex duobus minus eligendum. 24.b
Malus plura potest mala afferre quàm fera. 91.a
Mansuetudo quid. 51.a
Mediocritas quid. 17.b
Mediocritas in omni re præstantiam conseruat. 21.a
Medium quid. 21.a. & 72.a
Medium reperire in omni re difficillimum. 24.a
Medium habitum esse laudabilem. 25.a
Μεγαλοψύχια quid. 45.a

Memoria rerum honestarum iucunda est. 99.a
Mendacium omne per se in malo vitióque est. 53.b
Mendacium vt quid turpe, vitandum. ibidem.
Mendax duplex: alius enim mendacio ipso delectatur, alius gloriæ aut quæstus gratia mentitur. 22.b
Mens omnis quod sibi optimum est eligit. 122.b
Mentem qui excolit, Deo est charissimus. 130.a
Mente nihil melius in nobis est. 136.b
Mensuræ vini triticíque non vbique pares. 65.b
Metus definitio. 33.b
Molesta omnes fugiunt. 128.b
Mollis quis esse dicatur. 91.b
Morosi homines qui dicantur. 52.a. & 53.a
Mortem in bello oppetere, pulcherrimum. 34.a
Mortem sibi ipsi conscisscere, fugientem paupertatem vel amorem, vel molestiam, viri fortis non est, sed potius timidi. 35.b
Morte nihil terribilius. 34.a
Motus omnis in tempore fit, finémque aliquem & terminum spectat. 131.a
Mutatione nihil iucundius aut suauius. 99.a

N

NAtura apud Deos quod est insitum, nusquam mutabile est, apud nos verò quædam à natura insita mutantur. 65.b
Natura nostra non est simplex, sed habet quiddam admixtum dispar sui ac dissimile, quo eam interire necesse sit. 99.a
Natura molestiam fugit, & iucunditatem expetit maximè. 104.a
Necessarium est id omne quod sub scientiã cadit. 73.b
Necessaria quæ planè & simpliciter sunt, sempiterna sunt omnia. ibidem
Negoria suscipimus, vt in otio simus. 137.a
Noxarum tria sunt genera. 66.b
Numus ad quem vsum comparatus. 63.a

O

OFficium proprium hominis 8.a
Opera cuique sua chara esse solent. 120.b
Optimus quis dicatur. 4.a
Optimus habetur qui virtutem non ad suam sed aliorum vtilitatem refert. 58.a
Optimus in omni re est imitandus. 126.b
Oratio difficile potest euellere id quod insitum & moribus inueteratum est. 140.b

P

Παράνομοι qui. 57.b
Parentes veneratione prosequi debemus 109.b
Parentes suos liberos vt seipsos, amant. 110.b
Parentibus à liberis alimenta debent suppeditari. 116.b
Pater est qui filiis vt sint causa est & alimenti & eruditionis. 109.a
Patri licet filium abdicare, filio non item. 113.b
Patri an liceat in omnibus parere. 115.b
Patrem verberare grauiùs, quàm quemuis alium. 107.b
Peccare quis dicitur. 66.b
Pecuniæ quæ dicantur. 41.b
Perfectissimum quid. 7.a
Personarum tum dicendo, tum audiendo rationem habere debemus. 54.b
Perspicacia quid. 78.b
Perspicaciæ & prudentiæ differentia. 79.a
Pertinaces qui dicantur. 93.a
Perturbationes quæ sint. 19.b
Perturbationes cur virtutes nec vitia. ibid.
Philoxenus collum sibi gruis longius dari optabat, vt maiorem ex cibis perciperet voluptatem. 39.a
Platonis sententia de educãdis liberis. 8.a
Pœna duplex in violentos constituta. 32.a
Πρᾷος quis. 51.a
Precia rerũ omniũ debent esse certa. 63.b
Principium plus esse videtur, quàm dimidium totius. 9.a
Principia quomodo cognoscantur. ibid.
Principia quæ sint. 73.a
Προαίρεσις quid. 28.a. & 30.b
Προαιρετὸν quid. 29.a. & 30.b

Probra & dedecora propter quæstum multi sustinent, 34.b
Probus nemo esse potest absque prudentia. 81.b
Probi improbíve vt simus, est in nobis. 31.b
Probos peccare non decet, nec amicos sine re 107.a
Prodigalitas quid sit. 41.b
Prodigus multò melior auaro esse videtur. 43.b
Profusus quid. 46.b
Proportio quid. 60.a
Proportio alia deiuncta, alia coniuncta. ibidem
Proportio geometrica quid. 59.b
Proportio exæquat amicitias & conseruat. 114.b
Prudens quis. 74.b.&76.b
Prudens nemo esse potest, qui bonus non sit. 81.b
Prudens nemo esse potest, absque virtute morali. 82.a
Prudens officium. 76.b
Prudentes qui dicantur. 74.b
Prudentia quid. 76.b
Prudentia in quibus rebus versetur. 77.a
Pudore affici quos deceat. 55.b
Puer cur beatus esse non potest. 11.b
Puer cur mathematicus, non physicus effici possit. 77.b
Pueri & belluæ consilij participes non sunt. 28.a
Pueris alia, alia viris in precio sunt. 135.b
Pusillo animo esse qui dicantur. 47.b

Q

QVæstus gratia multi probra & dedecora sustinent. 44.b
Qualis quisque est, talia sunt eius facta, oratio & vita. 54.a

R

RAtiocinatio à rebus generalibus & vniuersis progreditur. 74.a
Regia potestas paternum imperium referre debet. 108.b
Rpeiublicæ tria genera. 108.a
Rerum publicarum optima, est regnum, deterrima timocratia. ibidem
Res nulla eadé nos semper delectat. 98.b
Res quæque fine definitur. 34.b
Rex eorum quibus præest commodis studere debet. 106.b
Regis amicitia in eos quibus imperat, cõsistit in excellentia quadam beneficiorum. 109.a

S

SAcrificia olim & conuentus fieri solebant posteaquam fruges collectę erant. 108.a
Sagacitas quid. 78.a
Salis modios multos edendos esse cum amicis antequã eos cognoscere possimus. 102.b
Sapiens nemo natura esse potest. 80.a
Sapientis officium. 76.a
Sapientia quid sit. ibidem b
Sapientiæ nomine quid intelligatur. 76.a
Sapientum sententiæ magnam habent auctoritatem. 139.b
Sceleratissimus quis. 58.a
Scientia quid. 73.b.&74.a
Scientia omnis demõstratione acquiritur. 73.b
Scientia omnis doceri potest, & quicquid sub scientiam cadit, perdisci. ibidem
Scire aliquid dupliciter dici. 86.a
Scomma quid. 55.a
Scurræ ac importuni qui. 54.b
Senectus omnisque imbecillitas auaros efficit. 44.a
Senes & seueri ad amicitiam cur non idonei. 103.b
Senibus honos tribuendus. 116.b
Sensus nullius actionis est initium. 72.b
Sensus cuiusque est sua propria voluptas. 132.b
Sententia quid. 79.a
Sermones factis congruentes comprobantur. 128.b
Seruus instrumẽtum est animatum. 110.a
Societas sublato contractu consistere non potest. 63.b
Societas patris cum liberis regni speciem præ se fert. 108.b
Societas viri cum vxore præ se fert quandam optimatum potestatem. ibidem
Socio pecuniam adimere grauius est quàm

ciui. 107.b
Solertia quid. 81.b
Solonis sententia de beatis. 139.b
Σωφροσύνη cur sic dicta. 75.a
Sordidus quis. 47.a
Sponte agere quis dicatur. 25.b
Sponte fieri quid. 26.a
Subtilitatem in omnibus rebus nõ esse quærendam. 8.b
Sumptus facere quibus deceat. 45.b
Sumptus qui maximè probentur. ibidem
Sumptus omnis ex suo genere magnus est æstimandus. 46.b
Superbi & elati qui dicantur. 47.b.& 50.a

T

TEmperans quis dicatur. 17.a
Temperans quo differat ab intemperante. 38.a
Temperantia quid. 38.a
temperãtia in quibus rebus versatur. ibid.
Tempus rerum inuẽtor & adiutor bonus. 8.b
Timidus quis. 17.b.&32.b
Timidus. audax & fortis in iisdem rebus versantur, sed non eodem modo 35.a
Tyrannus suis tantùm commodis inseruit. 108.a

V

VErecundia quid. 55.a
Verecundia est similior perturbationi quàm habitui. ibid.
Verecundia non omni ætati, sed adolescẽtiæ conuenit. 55.b
Veritas apud omnes plus valere debet quã amicitia. 5.a
Veteratores qui dicantur. 54.a
Vi fieri quid dicatur. 27.a
Vinolenti duplici pœna afficiebantur. 32.a
Vir bonus quis. 18.b
Vir bonus verè de omnibus rebus iudicat. 31.b
Viri boni elegantissima descriptio. 118.a
Vir bonus sibi charus maximè. 121.b
Vir bonus amicorum & reipub. causa mortem oppetit. 122.b
Vir bonus rebus omnibus antefert honestatem. 123.a
Vir bonus est mensura rerum omnium. 118.a. & 135.a
Virtus quid. 21.a
Virtus moralis consuetudine comparatur. 16.a
Virtus in quo versetur. 19.a
Virtus probè affectum reddit id omne in quo inest. 20.a
Virtus atque vitium in nostra sunt potestate. 31.b
Virtus à iustis discitur. 124.a
Virtus vera sine prudentia esse non potest. 82.a
Virtutis actiones per se iucundas. 10.a
Virtutis definitio secundum veteres. 18.a
Virtutis est lætari & dolere quibus rebus & quemadmodum decet. 43.a
Virtutis merces gloria. 47.b
Virtutis ac beneficentiæ præmium est honos & gloria. 48.a
virtutem cognoscere non sufficit, sed eam exercere & ad vsum adhibere oportet. 140.a
Virtute præditus scit bene quaque re vti. 41.b
Virtute vndique perfecta & absoluta, nullus honos satis dignus potest esse. 48.a
Virtutes ex antecedentibus actionibus cõparantur. 16.a
Virtutes non sunt rationes, sed cum ratione. 82.a
Virtutum diuisio. 25.b
Virtutum duo genera. 15.b
Virtutum moralium nulla nobis natura ingeneratur. 15.b
Virtutum ac artium differentia. 18.b
Virtutum omnium descriptio. 21.a
Virtutum omnium semina simul atque in lucem æditi sumus, continemus in nobis. 81.b
Vitæ genera tria. 4.a
Vitia non solùm animi, sed etiam quædam corporis sunt voluntaria. 32.b
Vitia cur voluntaria. 32.a
Voluntarium quicquid est, non est deligendum. 28.b
Voluntas est etiam eorum quæ fieri non possunt. 18.b
Volunratis nostræ & in nostra esse potestate quæ dicantur. 31.a
Voluptas cur difficile à nobis pellatur. 18.b
Voluptas omnium animantium communis. 18.a

Voluptate & dolore ad pueros instituendos, vtendum. 131.a
Voluptas cur summum bonũ non sit. 77.a
Voluptas impedit quominus sapiamus. 96.a
Voluptas cur bonum non sit 96.b
Voluptas magis est in quiete quàm in motu. 99.a
Voluptas cur sempiterna non existit, eadémque ipsum perficit. 133.a
Voluptas cuiq; animali ũ est propria. 134.b
Voluptatis nulla est ars. 96.a
Voluptati quàm iracundiæ resistere difficilius. 108.b
Voluptatẽ efficiẽtiũ duo sunt genera. 98.a
de Voluptate sententias omnes refellit Aristoteles. 128.b
Voluntates necessariæ quæ. 98.a
Voluptates aliæ necessariæ, aliæ non necessariæ. 4.a
Voluptates specie differunt. 130.a
Voluptates adaugent studia & operationes. 130.b
Vrbanus quis. 54.b
Vtilia quæ. 100.b
Vtilitas coniunxit & continet societatem ciuilem. 107.b
Vxores cùm amplum habẽt patrimonium dominari volunt. 109.a

FINIS.

IOANNIS HERBETII LOTHARINGI COMPENDIOSVM ARGVMENTVM IN ARISTOTELIS DECEM libros de moribus, ad Nicomachum.

PHilosophia moralis ad agẽdum refertur. Nam discitur illa quidem, vt sciamus, sed tamen præcipuè, vt bene beatéque viuamus. Omnis enim laus virtutis in actione consistit. Et honestis actionibus frequentatis habitum virtutis acquirimus, bonique nominamur & sumus. Subiectum huius disciplinæ est actio humana, quatenus humana. Methodus est naturæ & potissimum analyseos, quoniam à generalibus ad specialia, & ab eo, quod primum est in consilio & cogitatione progreditur, hoc est à fine, qui est fœlicitas, quam primo libro definitione, quæ totum vniuersum quoddam est, generatim describit. Deinde virtutem in definitione positam veluti rationem ac viam ad fœlicitatem, & certè eius partem, & quidem potiorem sequentibus libris exponit, tum libro decimo ad explicandam fœlicitatem reuertitur, vt finis est postremus in adeptione & fruitione. Horum librorum decem hæc est summa. Primo lib. disseritur vniuersè de vltimo hominis fine, qui est fœlicitas constans actionibus virtuti consentaneis, bonísque corporis & externis. 2. generatim de virtute, an sit, quid sit, & qualis sit. 3. primùm de principiis actionum humanarum, vt voluntario, nec voluntario, deliberatione & electione. Deinde de fortitudine, tum de temperantia. 4. lib. de liberalitate, magnificẽtia, magnitudine animi, modestia, mansuetudine, affabilitate, veritate, vrbanitate, & verecundia, quam virtutibus non annumerat. 5. lib. de iustitia, eiúsque partibus. 6. de quinque virtutibus rationis, arte, prudentia, scientia, intelligentia, & sapientia. 7. de heroica virtute, & quæ ei contraria est, immanitate, de continentia & incontinentia, de constantia & mollitia animi, id est laborum & dolorum fuga, déque voluptate & dolore, in quibus versantur virtutes & vitia, continentiáque & incontinentia. 8. lib. de amicitia, eiúsque formis. 9. de adiunctis amicitiæ. 10. prosequitur, absoluítque suam tractationem de fœlicitate, primò declarans voluptatem non esse summum bonum, sed tamen eàm esse fœlicitati coniunctam, perficeréque virtutis actionem. Deinde fœlicitatem diuidit in contemplantem, quæ consistit in actione sapientiæ, & in agentem, quæ cernitur actione virtutum moralium, quatenus virtutes morales prudentia diriguntur & inter se connectuntur.

ARISTOTELIS
ad Nicomachum filium de Moribus, quæ Ethica nominantur liber primus.

ARGVMENTVM.

TRACTATIONEM *de summo bono summatim comprehendit tribus quæstionibus, an sit, quid sit, & quale sit. Esse docet posita definitione boni, & diuisione finium seu bonorum, quorum aliud sit alio melius, & aliquando optimum & summum, idémque finis vltimus. Alioquin progrediendum esset in infinitum, quo dato & concesso, frustra quippiam appeteremus vel ageremus, quia nunquam ad finem perueniremus. Quæstionem quid sit explicans refellit in primis aliorum de beatitudine opiniones, quorum alij voluptatẽ, alij honorem, alij virtutem, alij diuitias, Plato ideam boni summum esse bonum confirmabat. Deinde statuit hoc ipsum esse felicitatem, quæ est actio animi virtuti congruens in vita perfecta bonis corporis & fortunæ satis instructa. Qualitatem felicitatis exponit maximè ab adiunctis causis, subiecto, docens aliquem verè dici beatum etiam in hac vita. Quandoquidem inest ei virtus in actione posita, altissimisque defixa radicibus.*

OMNIS *ars, atque adeò omnis quæ via & ratione procedit cognitio: itémque omnis actio & omne agendi consilium, bonum aliquod sibi propo-* Cap. 1.
nere, idque appetere videtur. Ideóq; præclarè asserũ est bonum ipsum esse, quod sibi res quæque proponerent & appeterent. Finium autem, suæ quædam sunt differentiæ. Alij enim sunt actus operationésve, alij præter actiones sunt opera quædam. Et quarum quidem rerum præter

actiones, alij præterea fines sunt, in iis natura sunt opera meliora actionibus. Et quoniam multæ actiones, artes ac scientiæ erant, complures etiam fines extiterunt. Nam & medicinæ bona valetudo finis est, & artis ædificandarum nauium nauis, & imperatoriæ artis victoria, & rationis rei familiaris diuitiæ. Quæ autem eius generis arteis uni alicui facultati subiectæ sunt, (velut rei equestri ea quæ frænos conficit, cæteræque omnes, quæ instrumenta equorũ efficiunt: tum verò hæc ipsa equestris & omnia officia bellica, arti imperatoriæ, itémque aliæ alij) in iis omnibus, fines earum quæ principem locum tenent, magis expetendi sunt, quàm omnium earum quæ sub eas subiectæ sunt: quippe cum horum causa etiam illi expetantur. Nec quicquam interest, utrum ipsi actus operationesve sint actionum fines, an præter illos aliud quippiam, quemadmodum in iis scientiis, quas modò diximus, perspici potest.

IN CAP. I. NOTÆ.

GRVCHIVS.

OMnis ars, atque adeò omnis quæ via & ratione procedit cognitiõ.] Μέθοδος hîc non significat docendi viam & rationem: sed cùm artem dixisset Arist. ne parum dixisse videretur, voluit subiicere aliud verbum quod latiùs pateret. Quasi diceret omnis ars, imò verò omnis cognitio, &c. Quo etiam modo accipi debet secundum membrum, Omnis actio, imò verò omne consilium. Cur verò, ita verterim, auctorem habeo ipsum Aristotelem, qui initio tertij capitis, cùm repetit hoc suum pronunciatum, ita scribit: λέγομεν δὲ ἀναλάβοντες, ἐπὶ πᾶσα γνῶσις καὶ προαίρεσις ἀγαθῶ τινος ὀρέγεται. Vbi γνῶσις dixit pro eo quod antè dixerat μέθοδος. Tolerabilius erat vertere doctrinam: sed magis doctrina διδασκαλίαν significat.

Προαίρεσιν agendi consilium verti Cicerone auctore, cùm multis in locis, tum lib. 3. de Oratore, vbi ita scribit: *Nam aut ipsa cognitio rei scientiáque perquiritur, vt virtus suam, ne propter dignitatem, an propter fructus aliquos expetatur: aut agendi consilium exquiritur, vt sitne sapienti capessenda respub.* Ego tamen non semper retinui idem verbum: sed interdum institutum, nonnunquam propositum verti: tum quod superstitionis est eodem semper verbo vti, cùm pluribus cõmodè possis: tum quod quibusdam in locis non tam aptè redderetur προαίρεσις, si agendi consilium dicas, quàm si aut institutum, aut propositum verteris, id quod suis locis postea indicabo.

Ἀλλὰ καλῶς ἀποφαίνατο τἀγαθὸν οὗ πάντα ἐφίεται. Ego ipsum bonum potius verti quàm summum bonum, quia tametsi illud τἀγαθὸν sæpe his libris significet summum bonum, hoc tamen loco mihi non videtur ita rectè verti posse. Voluit enim Arist. suo more statim initio ponere propositionem quandam perspicuam & nulla probatione indigentem, qua velut principio quodam in demonstratione sequentium vteretur. Illa propositio est, omnem cognitionē, & omne agendi cōsilium (quibus duobus omnes res agendas complecti voluit) suum quendam finem habere, qui finis bonum quiddam sit. Quæ causa est vt statim subiiciat, *Finium autem quædam sunt differentiæ.* Postquam ergo ita dixit Arist. Omnis cognitio & omne agendi consilium habet finem quendam, atque adeò bonum aliquid quo refertur & quod appetit: tum quasi ex parte genus concludens, subiicit. Ideóque præclarè dictum est à veteribus, ipsum omninò bonum esse quod omnia appeterent: Nam hæc definitio ipsius boni à veteribus tradita est, auctore Arist. lib. 1. Rhetor. vt non possit bonum in toto genere aptiùs definiri, quàm si dicatur, bonum esse id quo res quæque spectant quódq; appetunt: ita vt idem sint finis & bonum. Neque verò conuenire potest huic loco summi boni interpretatio, primùm, quia Arist. non probat veterum sententiam in eo quod omnium rerum vnum quoddam bonum esse voluerunt. Eius enim verba sunt primo lib. de Moribus ad Eudemum. ὅτι φάναι πάντα τὰ ὄντα ἐφίεσθαί τινος ἀγαθοῦ οὐκ ἀληθές· ἔστιν γὰρ ἰδίου ἀγαθοῦ ὁρίγεται. Deinde cùm Arist. dicit omnem cognitionem & omne consilium bonum quoddam appetere, non ita accipi debet, quasi velit omni cognitioni & omni agendi consilio vnum quoddam bonum propositum esse: alioqui id quasi notum & perspicuum acciperet, quod paulò pòst initio secundi cap. ratione confirmat. Sed hoc tantū voluit initio ponere, quod absque vlla probatione notissimum est, Omnem cognitionem & omne consilium suum quoddam bonum appetere. Itaque cùm subiicit præclarè dictum esse à veteribus ipsum bonum esse quòd omnia appeterent, illud omnia distributiuè (vt verbis in schola vsitatis vtar) non collectiuè accipi debet. Idque vt ego significarem, malui vertere πάντα res quæque quàm omnia.

Actus operationésve. Quia vtrumque non modò Latinum est, sed etiam Ciceronianum, & propriè respondet verbo ἐνέργεια, propterea, vt semel admonerem, vtrumque coniunxi. Cicero pro domo sua, *Omnémque impetum discordiarum, omnem diu collectam vim improborum, quæ inueterata compresso odio atque tacito iam erumpebat in actum.* Quis non videt actum illo loco significare id quod Arist. dicit ἐνέργειαν? Idem Cic. ad Att. lib. 6. in Epist. cuius initium est, *Et si nil habeam,* ita scribit: *Huius nebulonis operatione si Brutus moueri potest: licebit eum solum ames.* non ergo barbarum est, sed Ciceronianum operationis verbum.

Atqui si quod est rerum agendarum vltimum, quod & propter se expetamus, & propter ipsum cætera omnia: nec omnia propter aliud sequimur (sic enim res progredietur in infinitum, vt inanis ac stultus omnis noster appetitus sit futurus) perspicuum est in eo esse summum bonum, idque adeo quod est omnium optimum. Huius ergo cognitio ad vitam etiam degendam momentum magnum habet: & Cap. 2.

tanquam ſagittarij ſignum intuentes, faciliùs quod noſtri eſt officij aſſequemur. Quod cùm ita ſit, danda opera eſt, vt rudi certè informatione ipſum, & quid tandem ſit, & cuius ſit ſcientiæ vel facultatis extremum intelligamus. Et ſanè par eſt, vt eius potiſſimum ſit finis, quæ domina eſt & princeps omnium, qualis ciuilis ſcientia videtur eſſe. Nam & quæ in Rep. ſcientiæ admittendæ ſint, & quas quiſq; diſcere debeat, & quatenus, ipſa præſcribit. Atque etiam facultates eas, quę in maximo honore ſunt & precio, vt artem imperatoriam, vt rei domeſticæ rationem, vt rhetoricem, huic ſubiectas cernimus. Quòd ſi ſcientias hæc reliquas omnes, quarum omne opus eſt in agẽdo ad vſum ſuum adhibet præſcribitque legibus quid faciendum & à quibus abſtinendum ſit, profectò neceſſe eſt eius extremo & fine reliquarum fines contineri: vt in eo ſit ſummum hominis bonum. Vt enim ſit idem vnius hominis bonum atque ciuitatis vniuerſæ, hoc tamen quod ad ciuitatem vniuerſam pertinet & aſſequi & conſeruare, maius quiddam ac perfectius videtur. Præclarè enim ſe res habeat, ſi & vni & in ſolitudine vitam agenti, conſulatur: at verò ſi genti & ciuitatibus, multò & pulchrius & diuinius. Atque hæc quidem quam inſtituimus via & ratio, quoniam & ipſa ciuilis quædam ſcientia eſt, hoc ſibi propoſitum habet, idq; expetit.

NOTÆ.

Τὸ δέοντος.] Τὸ δέον non ſignificat τὸ πρέπον, ſed, vt Cicero loquitur, id quod noſtri officij eſt, quod facere oportet.

Καὶ τίνος τῶν ἐπιστημῶν ἢ δυνάμεων.) In iis verbis ſubaudiendum eſt τέλος ἐστὶ, vt ſit ſenſus, cuius ſcientiæ aut facultatis ſit finis. Id quod ſequentia paulo poſt verba indicant, cùm concludit ciuilis ſcientiæ finem reliquarum artium fines continere, ita vt ille ipſe finis ſit ſummum hominis bonum.

Ἡ μὲν οὖν μέθοδος τούτων ἐφίεται.] Legendum eſt τοῦτο ἐφίεται, vt intelligatur τοῦτο τέλος, aut ἀγαθόν. Eſtque hic ſenſus, hæc noſtra quam de moribus inſtituimus

tractatio, bonum illud appetit, finem illum propositum habet: quando quidem ciuilis scientiæ pars quædam est. Ac legendum ita esse demonstrari potest eo quod initio quarti cap. ita scribit: Nunc dicamus quid sit illud bonum, quod à ciuili facultate appeti dicimus.

τί ὅτι ὃ λέγομεν τὴν πολιτικὴν ἐφίεσθαι.] Hanc verò propterea conclusionem subiecit Arist. vt constaret statim initio horum librorum, quod sibi propositum esset. Et quæ ab initio libri, ad hunc vsque locũ à eo dicta sunt, eo pertinebant vt hanc conclusionem eliceret: quæ est prima pars sui proœmij, vt ipse appellat. Quod quidem proœmium ipse in tres partes diuidit, in epilogo, quem ad finem tertij cap. his verbis posuit, καὶ περὶ μὲν ἀκροατοῦ καὶ πῶς ἀποδεκτέον, καὶ περὶ οἱων προτιθέμενα πειρατέον παρασκευάζειν.

In qua tractanda satis accurata erit oratio, si quantum Cap. 3.
res proposita feret, explanabit. Non enim in omnibus disputationibus subtile accuratúmque genus rei explicandæ similiter requirendum est: vt nec in operibus quæ ab arte proficiscuntur. Atqui iis rebus, quæ honestæ, quæque iustæ sunt, in quibus ciuilis scientia versatur, tanta inest varietas, tanta inconstantia, vt lege tantũmodo, non etiam natura videantur constitutæ: quæ etiam inconstans & instabilis natura in bonis rebus locũ habet, propterea quod multa ex iis detrimẽta consequãtur. Iã enim aliis diuitiæ, aliis vis corporis exitiũ pernicíemq; attulit. Ergo satis erit, eos qui ex his, & de iis rebus verba faciunt, pingui quadam Minerua & subiecta velut rudi forma, quid in quaque re veri sit demonstrare: & qui de rebus, quæ plerunque eueniunt, disserunt, ex hísque suas rationes conficiunt, tales efficere conclusiones, quæ illorum naturam referant. Eodémque modo accipi probarique debent, quæ dicuntur omnia. Est enim hominis eruditi, subtilitatem requirere in omni genere eatenus, quoad rei natura patiatur. Sũt enim hæc persimilia, Mathematicum probabilia in dicendo adhibentem probare, & ab oratore demonstrationes requirere. Quæ autem quisque nouit, de iis bene iudicat, eorúmque bonus est

iudex. De quaque ergo rerum singularum vere iudicabit is qui eruditione singularũ rerum valet: omnino vero ac simpliciter, qui omni doctrina eruditus est. Quocirca ciuilis scientiæ non est iuuenis idoneus auditor: est enim expers actionum, quas vita desiderat: hæc autem de actionibus & ex iis tota oratio est. Iam verò cùm animi perturbationibus ducatur, frustra & inutiliter audiet: quandoquidem finis huic scientiæ propositus non cognitio sit, sed actio. Qui puer sit ætate, ánne moribus puero par & similis, nihil interest. Non est enim culpa in tempore, sed in eo quod animi perturbationes in omni vitæ actione sequatur. Nam huius generis hominibus, quemadmodum impotentibus inutilis cognitio futura est. At verò qui rationi suas appetitiones obedientes efficiunt, & actiones sequuntur rationi congruentes, magnum fructum ex harum rerum cognitione consequentur. Ac de auditore quidem, quæque docendi ratio hîc postulanda sit, & quid nobis proponamus his libris, proœmij loco hactenus diximus.

Τοῖς δὲ κατὰ λόγον τὰς ὁρμὰς ποιουμένοις καὶ πράττουσι. In his postremis verbis repeti debet, καὶ πρᾶξις κατὰ λόγον πρᾶττουσιν, vt sit datiuus participij πράττων. Quæ causa est, vt ita verterim, Et actiones sequuntur rationi congruentes.

Cap. 4. Nunc repetito principio, quoniam omnis cognitio & omne institutum, agendique consilium bonum quoddã appetit, statuamus quid sit illud quod ciuilem rationem desiderare dicimus; quidque sit omnium rerum agendarum extremum bonũ. Constat quidem fere inter omnes, quo nomine appellari placeat. Beatitudinem enim & vulgus & qui expolitiores sunt, vocant: bene autem viuere & bene agere (quòd Græci εὖ ζῆν καὶ εὖ πράττειν dicunt) idem esse quod εὖ-

beatum, id est, beatum esse existimat: Quid autem sit beatum do, non constat, deq; eo est inter eos omnis dissentio: neq; imperita multitudo & sapiẽtes in eodem ponunt. Alij enim in eorũ aliquo quæ illustria sunt, & in oculis omniũ posita, vt in voluptate, vt in diuitiis, vt in gloria, aliíque in alio: plerumque etiam idem in alio atque alio. Cùm enim ægrotat, in bona valetudine ponit: cùm pauper est, in diuitiis. Qui autem suæ conscij sunt ignorationis, eos admirantur, qui magnum aliquid, & quod eorum ingenij vires superet, dicunt. Quidam verò præter hæc complura bona, aliud quoddam per se, quod & ipsum causa sit, cur cætera bona sint omnia. Et omnes quidem exquirere sententias, supervacaneum sit: contenti autem erimus, si exquiramus eas potissimum quæ eminent, maximeque probantur, aut quæ aliqua nituntur ratione. Hoc autem ignorare non debemus, interesse inter rationes eas, quæ à principiis proficiscuntur, & eas quæ ad ipsa principia ferunt. Rectè enim hoc Plato dubitabat & requirebat: vtra via esset sequenda, éane quæ à principiis permanaret ad fines, an quæ ad principia ferret: velut in stadio, ab iis qui præmia proponunt ad metam, an contrà. Initium enim capiendum est ab iis rebus quæ notæ sunt: sed harum duo genera sunt: aliæ enim cognitæ sunt nobis, simpliciter & per se aliæ. Ac nobis quidem certè ab iis capiendum est exordium quæ sunt nobis cognitæ. Quocirca quid de rebus honestis & iustis, & vno nomine ciuilibus, idoneus auditor futurus est, is sit oportet bonis moribus præditus & institutus. Principium enim est quod ita sit, idque si satis sit perspicuum ipsum quamobrem sit, nihil desiderabitur. Homini verò eiusmodi aut iam percepta sunt

principia, aut facilè alio docente percipiuntur. Cui autem horum neutrum ineſt, audiat Heſiodi carmina

» Optimus eſt, ſeſe qui nouit cuncta magiſtro:
» Ad finem vſque videns quæ ſemper ſunt meliora.
» Ille etiam bonus eſt, alium qui recta monentem
» Audit, & inuentis ponit veſtigia lætus.
» At cui conſilium ſua nec prudentia donat,
» Inducítque animum voces contemnere veras,
» Is nunquam frugi fuerit, ſed inutilis orbi.

Græca illa verba τὸ ζῆν καὶ τὸ πράττειν relinquenda eſſe duxi, quia quæ latinè ad verbum pro his redduntur, bene viuere & bene agere, non planè exprimunt vim & energiam græcorum verborum.

Eas potiſſimum quæ eminent.] τὰ ἐπιπρέποντα. Cicero appellat ea quæ eminent in Oratore, cùm ita ſcribit: ſententiarum ornamenta quæ permanent, etiam ſi verba mutaueris, ſunt illa quidem permulta, ſed quæ emineant pauciora.

Cap. 5. *Nos autem ad eam partem ſermonis, ex qua egreſſi ſumus, reuertamur. Summum enim bonum & beatitudinem non ſine cauſa ex vitæ generibus exiſtimare videntur vulgus quidem & homines importuniſs. atque inſolentiſs. qui eam in voluptate ponunt. Itaque vitæ degendæ rationem adamant delicatam, & voluptariam. Tria enim ſunt vitæ genera, quæ maximè excellunt: hoc, quo de modò diximus ciuile: & tertium id quod in contemplatione & cognitione conſiſtit. Ac multitudo quidem perſimilis mancipiorum apparet, cùm deligit pecudum vitam: ſed cauſa ei eſt, propterea quòd complures eorum qui principatu & poteſtate excellunt, iiſdem libidinibus quibus Sardanapalus, conſricti tenentur: expoliti verò homines, iique omnes quorum vita omnis in actione rerum verſatur, beatam vitam in honore ponunt. Fere enim ei vitæ generi, quod in Reip. adminiſtratione poſitum eſt, hic propoſitus eſt finis: Atqui*

leuius id est, quàm id bonum quod quærimus: est enim in eorum qui colunt potiùs potestate bonos, quàm qui colun-
tur. Sũmum autem bonũ, proprium quiddam auguramur, quódque vix eripi, adimique possit. Iam verò gloriam &
honorem persequuntur, vt sibi fidem faciant, se esse probos: itaque coli, afficíque honore à prudentibus volunt: & ab
iis quibus noti sunt, ídque ob virtutem. Perspicuum est igi-
tur, vel horum iudicio & sententia, virtutem esse meliorem
quam etiam eandem potiùs quasi finem propositam vitæ
ciuili quispiam fortasse existimauerit: veruntamen eo quo-
que a perfecto absolutóque genere distat. Fieri enim posse
videtur, vt qui virtute sit præditus, etiam dormiat, aut in
vita nihil agat omnino: & præterea maximis in malis
miseriisque versetur: eum autem qui sic viuat, beatum,
nisi propositi pertinax defensor, nemo dixerit. Atque hæc
quidem hactenus. Satis enim multa de iis dicta sunt in
ἐγκυκλίοις, id est, in iis quæ palàm in hominũ circulo factæ
sunt disputationibus. Tertium genus, est quod in contem-
plandis rebus cernitur, quod postea considerabimus. Nam
quæ vita in pecuniis congerendis occupata est, habet nescio
quid violentum, sine quo esse non posse videtur, & profe-
ctò in diuitiis non est id bonum quod quærimus: quoniam
sunt in bonis vtilibus, & propter aliud expetuntur. Qua-
propter in iis potius quæ supra dicta sunt, quia propter se
amantur, finem vltimúmque bonorum licet putare. Nec
tamen in illis est, quanquam multæ ad id confirmandum
rationes allatæ sunt & coaceruatæ.

Φορτικόταροι.) Importunus Latinis significat grauem, molestum, odiosum, & quod vulgo dicimus imporrabilem. Est igitur importunus is qui Græcis φορτικὸς dicitur. Cicero primo libro de Finib. *Filium morte multauit, si sine causa, nollem me*

ab eo ortum tam importuno támque crudeli. aptiſſimè etiam latinè reddet, qui φορτικὸν vertet inſolentem.

Ο'ικεῖον π'.] Proprium hic dicitur quod in noſtra eſt poſſeſſione, quod in noſtra eſt poteſtate, & non alterius cuiuſque.

Ε'ν τοῖς ἐγκυκλίοις.] Quid appellet Ariſt. ἐγκύκλια nemo omnium interpretum videtur aſſecutus. Ego verò idem ἐγκύκλια quod ἐξωτέρικα eſſe contendo, ídque auctore Simplicio, qui cùm interpretatur locum Ariſt. primo lib. de Cælo, vbi Ariſt. citat ἐγκύκλια φιλοσοφήματα, ſcribit pro eodem accipi ἐγκύκλια φιλοσοφήματα & ἐξωτέρικα. Locus Ariſt. ita habet. καὶ γὰρ καθάπερ ἐν τοῖς ἐγκυκλίοις φιλοσοφήμασι περὶ τὰ θεῖα πολλάκις προφέρονται τοῖς λόγοις. Cùm ego ἐξωτερικοὺς λόγους appellet Ariſtoteles, eas diſputatione ad quas omnes admitterentur, à quibus nemo arceretur, ad diſtinctionem τῶν ἀκροαματικῶν, iure optimo ἐγκυκλίους λόγους vertimus eas diſputationes, quæ palàm in hominum circulo fierent. Atque vt magis credam pro eodem accipi ἐγκύκλια & ἐξωτέρικα, facit locus Ariſt. ſtatim initio libri ſeptimi Polit. vbi ſcribit, ſatis multa à ſe dicta eſſe de optima vita in diſputationibus ἐξωτερικοῖς. Verba eius hæc ſunt, νομίσαντας ἂν ἱκανῶς λέγεσθαι καὶ ἐν ἐξωτερικοῖς λόγοις περὶ τῆς ἀρίστης ζωῆς, καὶ νῦν χρηστέον αὐτοῖς. Has profectò diſputationes de optima vita ἐξωτέρικας exiſtimo ſignificari ab Ariſtotele hoc loco, cùm dicit, ἱκανῶς γὰρ καὶ ἐν τοῖς ἐγκυκλίοις εἴρηται περὶ αὐτῶν.

Ο'δὲ χρηματιστὴς βίαιός τις.] Ego cum Euſtratio repeto ex ſuperioribus verbum βίος, vt intelligatur ὁ δὲ χρηματιστὴς βίος. non autem de homine quærendæ pecuniæ ſtudioſo: Nec βίαιος ſignificat eum qui alteri vim infert: ſed hanc vitam quę in quærendis pecuniis occupata eſt, dicit Ariſt. eſſe βίαιόν τινα, hoc eſt, (vt verbum verbo reddam) ſubuiolentam. Quia enim hæc vita curis & ſollicitudinibus plena eſt, propterea longè abeſt à beata vita. Nam quæ beata eſt, eadem tranquilla, ſedata, & iucunda cenſetur. At illa, χρηματιστὴς truculenta eſt, irrequieta, inſedata, & animis noſtris vim quodammodo adferens; ob eas ſcilicet curas & ſollicitudines quas requirit.

Cap. 6.

Atque his quidem omiſſis, id bonum vniuerſo genere continetur, conſiderari eſt melius, quóque modo dicatur exquiri. Quæ nobis etſi ægrè tractabilis, & in præcipiti loco poſita exiſtit quæſtio, quòd nobis amici ſint ij, qui ideas induxerunt: tamen ſatius videatur, ac potius ita oportet, veritatis retinendæ cauſa, ſua etiam decreta tollere, philoſophos præſertim. Etſi enim vtraque chara ſunt, pietatis tamen eſt pluris æſtimare veritatem. Qui hanc ſententiam inuexerunt, non faciebant ideas eorum in quibus prius poſteriúſque dixiſſent: itaque ne numeris quidem ideam fabricati ſunt. At bonum & in ſubſtantia dicitur, & in qualitate, & in iis quæ cum aliquo conferuntur: quæ ve-

ro per seipsa sunt & substantia, iis sunt, quæ cum aliquo comparantur, naturæ ordine priora. Propagini enim hoc simile est, eique rei quæ consequitur id quod iam est. Non igitur esse in his idea communis vllo modo potest. Præterea cùm bonum tam late pateat, quàm id quod est (dicitur enim in substantia, vt deus, & mens: & in qualitate, vt virtutes: & in quantitate, vt mediocre: & in iis quæ cum aliquo conferuntur, vt vtile: & in tempore, vt occasio & in loco, vt commodus habitandi locus, quæque sunt generis eiusdem) perspicuum est commune aliquid vniuersale, & vnum esse non posse. Neque enim in categoriis omnibus, sed in vna sola diceretur. Iam verò, quia eorũ omniũ, quæ ad vnam ideam pertinent, vna tantùm scientia est, necesse quoque esset bona omnia scientia vna contineri. Nunc vero plures sunt etiam eorum quæ sub vnam categoriam subiecta sunt: vt occasionis, in bello quidẽ ars imperatoria: in morbo, medicina: & mediocritatis, in cibo medicina: in laboribus, gymnastice. Sed quærat aliquis, quid tandem sibi velint, cùm res singulas adiecto pronomine, IPSVM, appellant? siquidem in ipsum hominem, & in hominem, vna eadémque valet hominis definitio. Neque enim hoc ipso quod homo est vtrunque, aliquid inter eos interest. Quod si ita est, nec qua bonum quicquam intererit inter bonum & ipsum bonum. Nec verò quia æternum est, ideo magis bonum: quandoquidem ne alba res quidem in longum tempus duratura, est albior ea quæ in diem. Mihi verò probabilius de eo dixisse Pythagorei videntur, qui vnum in bonorum pronunt ordine, quos & Speusippus videtur esse secutus. Sed de his quidem alius est mihi ad dicendum con-

ſtitutus locus. Nunc verò aduerſus ea quæ dicta ſunt, obiectio quædam ſuboritur, quoniam de omni bono ſint, quæ adductæ ſunt à nobis rationes: cum vno quodam genere contineri videamus ea, quæ per ſe expetuntur & amantur: conſcientia vero eorum, aut aliquo modo tuentia, aut etiam contrariorum prohibentia, propter illa, aliáque ratione, bona nominentur. Ergo hoc quidem apparet, duo eſſe bonorum genera, alia propter ſe, alia propter illa. Separatis igitur vtilibus ab iis que per ſe bona ſunt, an vni ideæ attribuantur, conſideremus. Ea quidem propter ſe bona quiuis ponat, quæ vel ſola & ſeiuncta à cæteris expetuntur, vt ſapere, vt videre, vt ſunt nonnullæ voluptates, vt honores. Et ſi enim hæc ipſa propter aliquid aliud ſequimur, tamen in iis quæ per ſe bona ſunt, licet ponere, aut certè nihil præter ideam ſit in his bonis. Ex quo efficitur, vt inanis & ſuperuacanea ſpecies futura ſit. Sin autem hæc quoque ſunt in iis quæ per ſe bona ſunt, neceſſe erit vt in niue & ceruſa candoris, ſic boni definitionem in iis omnibus eandem declarari. Atqui honoris, prudentiæ, voluptatis, diuerſæ ſunt definitiones, hoc ipſo quòd bona ſunt. Non eſt igitur bonum ita commune aliquid, vt vna quadam idea contineatur. Sed quonam igitur modo dicitur? neque enim ad ea videtur poſſe pertinere, quæ ſunt fortuna & caſu homonyma. Eſt ergo bonum commune quippiam & vnum, eo quòd ab vno quodam dicantur, vel ad vnum referantur omnia, aut potius proportione. Vt enim in corpore aſpectus, ſic eſt mens in animo, aliudque in alio. Sed hæc quidem fortaſſis hoc tempore omittenda ſunt, quoniam alterius philoſophiæ magis proprium eſſe videatur de iis accuratè diſputare, vt

etiam de hac ipsa idea. Etenim si quod vnum est bonũ quod communiter dicatur, aut si quod est seiunctum ipsum per se, perspicuum est id nec agi ab homine posse, nec haberi. Atqui nunc tale aliquid quærimus. Sed forte eius cognitio cuipiam videatur conducere ad ea bona quæ possideri à nobis atque agi possunt. Nam si ipsum tanquam exemplar nobis proponemus, facilius, quæ nobis bona sunt, intelligemus: & cùm intellexerimus, consequemur. Atque hæc quidem probabilitate quadam nititur oratio: sed scientiis certè repugnat. Nam cùm bonum quoddã omnes sibi propositum habeant, requirántque id ipsum semper quod deest: tamen huius cognitionem prætermittunt vniuersæ. Atqui non est consentaneum, artifices omnes tantum ignorare, nec quærere adiumentum. Illud etiam quæri potest, ecquid textori aut fabro ad suam artem adiumenti si ipsum bonum intelligãt, afferri queat? Aut quo tandem modo peritior medicus, meliórve dux belli sit futurus is, qui hanc ipsam ideam intuebitur? Constat enim medicum hoc modo non spectare valetudinem, sed hominis, aut potiùs huius hominis. Medetur enim singulis. Atque hæc quidem hactenus.

Commune aliquid vniuersale & vnum.] Varronis est (Vniuersale) Nimium ergo superstitiosi sunt, qui hoc vocabulum refugiunt. Nam quis Varrorem optimè latinè locutum negare audeat?

Διὰ τὸ μὴ ἀεὶ πάντες ἀγαθῦ τὸς λόγους εἰρῆσθαι.] Locus hîc sua obscuritate multas variásque interpretationes peperit, nec mihi videtur vllus interpretum satis assecutus quid sibi velit Arist. Omnes enim legunt negationem μὴ, quæ delenda est: vt legatur διὰ τὸ ἀεὶ πάντες ἀγαθῦ. Est autem hæc Arist. sententia: Rationes omnes, quas attulit Arist. ad confutandam ideam boni, ita de omni bono absq; vlla distinctione loquuntur, quasi velint aduersarij vnum genus esse omnium bonorum: cùm ab iis nomen boni multiplex esse ponatur: vt vnum genus sit eorum quæ per se expetuntur, quæque verè ac per se bona sint: Alia autem per aliud & quadam ab illa cõparatione tãtùm dicãtur bona: quia scilicet aut efficientia sint illorum bonorum, aut conseruantia, aut prohibẽtia eorum quę illis sint contraria. Non igitur iniuria aduersus ea quę hactenus disputauerat Arist.

obiici poterat, illum non rectè ad ſententiam aduerſariorum diſputare, qui ita de omni bono abſque vlla diſtinctione diſputet, quaſi omne bonum vno quodã genere contineatur, ſitque ſimplex boni vocabulum. Hanc ergo obiectionem præſentiens Ariſt. illi ita occurrit, vt concedat multiplex eſſe vocabulum boni, cáque multiplicitate diſtincta oſtendere conatur, ne illius quidem vnius generis bonorum, quæ propter ſe expetuntur vnam ideam eſſe. Atque ita tametſi eludantur illa obiectione ſuperiores rationes, non minus tamen his poſterioribus conuincentur aduerſarij.

Cap. 7. *Nunc autem redeamus ad id bonum quod quæritur, vt quid tandem ſit intelligamus. Nam ſatis conſtat aliud in alia eſſe actione & arte: quoniam aliud eſt in medicina, aliud in arte imperatoria, cæteríſque omnibus eodem modo. Quid eſt igitur quod cuique bonum propoſitum eſt, niſi id cuius cauſa reliqua aguntur? hoc in medicina, bona valetudo eſt: in arte imperatoria, victoria: architectura, domus, aliúdque in alia: in omníque actione & conſilio finis, quandoquidem eius cauſa omnes agunt omnia. Quocirca ſi vnius aliquis eſt finis rerum agendarum omnium, ſit in eo ſummum bonum, id quod ſub actionem cadit: ſin autem ſint plures, in eis ipſis. Atque illo quidem quaſi tranſitu eodem rediit oratio noſtra, vnde digreſſa erat: quod iam nobis apertiùs explicandum eſt. Quóniam autem plures fines ſunt, alióſque propter alios expetimus, vt diuitias, vt tibias, & vno nomine inſtrumenta, perſpicuum eſt non omnes eſſe perfectos. Quod autem optimum eſt, id omne perfectum. Si ergo vnum aliquid vndique perfectum eſt, in eo poſitum eſt id quod quæritur: ſin plura, in eorum abſolutiſſimo. Atqui quod propter ſe expetitur, id confirmamus eò quod propter aliud expetitur, perfectius: & quod nũquam propter aliud expetitur, iis omnibus quæ propter ſe & propter hoc expetuntur. Id igitur omnibus numeris perfectum eſt & abſolutum, quod propter ſe ſemper, nunquam propter aliud*

expetendum est: qualis fœlicitas videtur maximè. Nam & propter se eam semper, & nunquam propter aliud optamus. At verò & honorem, & voluptatem & intelligentiam, & omnem virtutem propter se illa quidem optamus: (quandoquidem & si nihil inde amplius expectemus, tamẽ eorum singula optamus) sed beatitudinis etiam causa eadem expetimus, quòd per ea speremus nos beatam vitam adepturos. At fœlicitatem neque eorum, neq; aliarum rerum omnino causa nemo expetit. Quod idem ex ea etiam abundantia rerum quæ se ipsa contenta est efficitur. Quod enim bonum vndique perfectum est, omne satis esse & sufficere videtur. Satis autem esse ac suppeditare dicimus non ipsi soli, vitam in solitudine agenti, sed parentibus, liberis, coniugi, omninóque amicis & ciuibus: quandoquidem sic hominis natura generata sit, vt habeat quiddam innatum quasi ciuile & popülare. Sed in iis certi quidem termini constituendi sunt. Nam si progrediamur ad maiores, si ad posteros, amicorũque amicos, nunquam finis reperietur. Sed hoc rursus alio loco considerabimus. Quod autem seipso contentum sit, id nos statuimus eiusmodi esse, quod solum seiunctum, secretúmque à cæteris vitam expetendam efficit, & nihil requirentem: qualem beatam vitam esse ducimus. Et præterea si cum cæteris bonis non coniungatur, anteponendam esse omnibus. Sin coniungatur, perspicuum est optabiliorem eam esse cum minimo bono coniunctam, quàm separatim: boni enim præstantia, accessione eius quod additur existit. At quò maius est quodque bonum, eò magis est semper expetendum. Hoc igitur iam apparet, fœlicitatem perfectum quiddam esse, omnibúsque suis partibus absolutum, seque ipsam

esse contentam, cùm rerum agendarum omnium sit extremum. Sed fortasse beatitudinem summum bonum appellari inter omnes constat: hic verò locus, vt planius doceatur quid sit, expostulat. Id iam patebit, si quid sit hominis opus & officium intelligatur. Vt enim tibicen & statuarius, omnisque artifex, & omnino, quibuscunque est suum quoddam opus, vel actio, in opere ipso suum bonum perfectionémque artis statuunt: sic homini, si quod est eius opus & officium, in eo ipso suum bonũ constituetur. Ergo fabri erũt & sutoris certa aliqua opera & actiones, hominis nullum erit, sed iners & ad otium natus censebitur? An non vt oculi, manus, pedis singularúmque partium suum est munus: sic homini quoque præter hæc omnia, opus aliquod munúsque tribuetur? Quodnam ergo erit illud tandem? Est enim ei cum stirpibus vita communis. At proprium hominis officium quæritur. Vita igitur quæ alendo & augendo cernitur, semouenda est. Hanc sequitur vita in sensuum facultate posita. At cõmunis est & equi & bouis, & animantium omnium. Relinquitur ergo vita ea, quæ in actione versatur, ab ea parte animi proficiscẽs quæ rationis est particeps. Huius porrò pars vna est, quæ rationi paret: altera in qua ipsa est ratio & cogitatio. Cũ verò hæc quoq; duobus modis dicatur, ea constituenda & ponenda est, quæ non habitu, sed actu cernitur. Hæc enim est quæ verius ac magis propriè dicitur. Quod si ita est, opus officiumque hominis sit necesse est, animi actus rationi consentaneus, aut certè à ratione non alienus. Est autem idem genere, officium artificis, & boni artificis, vt citharœdi & boni citharœdi: quod idem contingit in omnibus addita ad officium virtu-

tis excellẽtia. Citharœdi enim est, citharam pulsare: boni citharœdi, bene pulsare. Quod cùm ita sit, hominis officium & munus in vita quadam ponemus, quæ eadem actus est animi, atq; adeo actio cum ratione coniuncta: hominis autem boni, rectè ac præclarè in eo ipso se gerere. Atqui ita demum rectè quicquam perficitur, cùm sua & propria cuiusque virtus adhibetur. Quod si ita est, summum hominis bonum erit animi actus virtute vtentis. Et si plures virtutes sunt, optima ac perfectissima, idque in vita vndique perfecta. Vt enim vna hirundo non facit ver, nec dies vnus, sic vnus dies aut breue tempus non efficit beatum. Atque hoc quidem pacto summum bonũ circunscriptum sit: Primùm enim in quaque re ducenda sunt prima lineamenta, tum ad rem accuratiùs, verisq; coloribus pingẽdam accedendum. Videtur autem cuiusuis esse producere, ac distinctius explicare ea, quorum sit primò descriptio rectè anteposita: atque earum rerum tempus aut inuentor aut bonus adiutor esse. A quo etiam artes ipsæ à tam exiguo principio profectæ ad tantum decus peruenerunt: potest enim quilibet id quod deest, addere. Atque etiã meminisse debemus eorum quæ suprà dicta sunt: & subtilitas non eodem modo quærenda est in omnibus: sed pro rei quæ proposita sit natura: atque eatenus, quoad instituta ratio [redacted]udam tractatio patiatur. Nam & faber & geometra non eodem modo rerum angulum inuestigant: sed ille, quatenus est ad opus vtilis: hic quoniam spectator est & æstimator veritatis, quid nam sit, aut qualis, requirit. Eodemq; modo faciendũ est in cæteris omnibus, ne in accessione operis, & in eo quod obiter attingẽdum sit, quàm in eo quod agitur, &

cuius causa illud ipsum attingitur, longior ponatur oratio. Neque verò pariter in omnibus quærenda caussa est nonnullisq; in locis contenti esse debemus, si remissa esse rectè docuerimus: vt fit in principiis. Est autem primũ & principiũ, remissa esse. Principiorum autem alia inductione cognoscũtur, alia sensu, alia vsu & consuetudine quadam, alia aliter. Eorũ autẽ singula ita sunt tractanda, vt fert eorũ natura: dãdáq; opera est, vt probè definiantur. Habent enim plurimũ momenti ad ea quæ consequuntur. Quocirca principiũ plus videtur esse, quàm dimidiũ totius: multáque adeò eorũ quæ in quaq; scientia quęruntur, eo cognito, fieri manifesta.

Quandoquidem sit hominis natura, &c] Verba Cic. lib. 5 de Finib. sic interpretantis verbum illud, πολιτικόν.

Cap. 8. Explicandum est igitur hoc principium non solum per conclusiones, & per ea ex quibus constat definitio, sed ex iis etiam quæ de eo feruntur. Nam & congruunt cum vero, quæ vera sunt omnia, & continuò verum dissentit à falso. Cùm ergo bona in tria genera sint diuisa, sintque alia bona externa, alia animi, & alia corporis: animi bona verissimè & maximè bona nominamus. Itaque quoniam actiones & animi actus in animo ponimus, id sanè à nobis præclarè dictum est, & aptè ad hanc sententiã, quæ & vetus est, & philosophorum cõmuni consensu comprobata: illud etiam rectè, quod in actionibus & operationibus quibusdam finem extremumq; ponamus. Sic enim fit, vt ad bona animi, nõ ad externa pertineat. Cum definitione etiam nostra id cõgruit quod dici solet, bene agere & bene viuere (Græci dicunt εὖ ζῆν καὶ εὖ πράττειν) hominem beatum. Nihil enim nos aliud fere summum bonum esse diximus, quàm bonam

quendam viuendi & agendi rationem, εὐζωίαν ἢ εὐπραξίαν
uocant dicunt. Atque etiam in eo, in quo diximus esse fœ-
licitatem, ea omnia insunt, quæ de beatitudine quæruntur.
Aliis enim in uirtute esse uidetur, aliis in prudentia, qui-
busdam in sapientia: nonnulli eam in his ipsis ponunt, aut
in horum aliquo, adiuncta uel non seiuncta uoluptate: alij
etiam rerum externarum adiungunt affluentiam. Atque
aliæ quidem sunt multorum ac ueterum, aliæ perpaucorum
sed clarorum uirorum sententiæ: quorum neutros uerisimi-
le est omni ex parte aberrasse: sed aliqua aut potius magna
ex parte rectam uiam secutos. Et cum iis quidem qui beata
uitam dicũt omnem uirtutem, aut aliquam uirtutem, con-
sentit definitio: est enim uirtutis ea actio, quæ est ei ipsi vir-
tuti consentanea. Magnopere autem refert profectò, in pos-
sessione summum bonum, an in usu & in habitu, an in actu
ponatur. Fieri enim potest, ut is cui inest habitus, nihil rei
præclaræ gerat: ut qui ineſt in dormiente, aut alio modo
otioso. At uerò actus non potest: aget enim necessariò ac po-
tiùs rectè aget. Vt autem in Olympicis ludis, non formosissi-
mus quisque, aut robustissimus corona donatur, sed qui in
certamen descendunt: (horum enim nonnulli uincunt) sic
eorum quæ in uita sunt honesta ac bona, compotes fiunt ij,
qui recta quæ sunt faciunt. Quorum etiam uita ipsa per se
iucunda est: nã uoluptate affici in iis etiam numeratur, quæ
in animo insunt. Cuius autem rei ratione quisque cupidus
dicitur, ea delectatur, ut equo, is qui cupidus equorum
dicitur: spectaculo, qui spectaculorum cupiditate duci-
tur. Eodémque modo rebus iustis lætatur is qui iusti &
æqui studiosus est: & omnino rebus quæ ad uirtutem per-

tinent, is cui virtus chara est. Ac multitudini quidem quæ sunt iucunda, fere inter se pugnat, propterea quòd non sunt natura eiusmodi. Iis autem hominibus qui sunt studiosi honestatis, ea voluptatem afferunt, quæ natura iucunda sunt. Quo in genere sunt, quæ virtuti congruunt actiones! Itaq; & his sunt voluptati, & propter se. Quocirca eorum vita voluptate non indiget, tanquã re quadem aduentitia: sed in seipsa inclusam habet voluptatem. Nam præterea quæ dicta sunt, non est vir bonus habendus is, qui honestis actionibus non lætetur. Neque enim quisquã aut iustum dixerit eum, qui iustis actionibus non gaudeat: aut liberalem eum, qui nõ delectatur officiis liberalitatis: itemq; in cæteris omnibus. Quæ cùm ita sint, confitendum est per se iucũdas esse virtutis actiones. Quinetiam & bonas & pulchras, atque adeò tria illa in summo gradu, siquidem verè de iis vir bonus iudicat: at iudicat, vt diximus. Est igitur quiddã optimum, pulcherrimum & iucundissimũ beatitudo. Neque ita distincta & separata sunt, vt in Deliaco epigrammate,

Iustitia est pulcherrima res: suauissima rebus
Gaudere optatis: optima si valeas.

*In*sunt enim hæc omnia optimis actionibus, in quibus aut in vna earum optima fœlicitatem esse dicimus. Sed tamen bonis, vt diximus, externis indigere videtur. Nemo enim potest, aut vix certè potest, res magnas & dignitatis plenas gerere, cui nulle opes, nulle suppetant copie. Permulta enim efficiuntur, quasi instrumentis quibusdam, vel amicorum opera, vel pecunia, vel auctoritate & potentia, qua inter tuos ciues valeas: suntque nonnullæ res, quibus si careas, beatam vitam labefactant, vt nobilitas, vt proles bona,

vt forma. Neque enim planè beatitudinis capax est is qui omnino deformis sit aut ignobilis, aut qui vitam in solitudine degat, & sine liberis: ac multò etiam minus forsan, si cui sint liberi improbissimi vel amici boni è vita excesserint. Ergo, vt diximus, has prosperitates videtur beata vita requirere. Ex quo fit, vt quidam fœlicitatem idem esse quod secundum fortunam: nonnulli, virtutem statuant:

Σκεπτέον δὲ καὶ περὶ αὐτῆς] Repetendum est ex proximo τῆς ἀρχῆς.

Ex quo existit quæstio, non doctrina consuetudine, aut alia aliqua exercitatione pariatur, an diuina sorte, aut etiã casu & fortuna eueniat. Ac si quod à diis aliud datum munus hominibus est, profectò consentaneum est fœlicitatem etiam datam esse à diis: idque tanto maximè omnium rerum humanarum, quanto iis omnibus lõgissimè præstat. Sed hæc sunt alterius disputationis magis propria. Hoc verò apparet, etiamsi non data sit concessu & munere deorum mortalium generi, sed virtute, disciplina, aut exercitatione pariatur, tamen in rebus maximè diuinis esse ducendum. Virtutis enim præmium & finis, optimum quiddam est, diuinum & beatum. Erit verò etiam hoc modo commune maximè, & latissimè patens bonum. Poterit enim comparari disciplina aliqua, & diligentia ab iis omnibus, quorum quidem à virtute animus aliquo vitio non retardetur. Quod si sic melius est beatum esse, quam fortuitò, certe ita esse confitendum est: Siquidem quicquid a natura proficiscitur, ita secundum naturam fit, vt optimè affectum esse potest: itémque cum omnia quæ ab arte & omni causa efficiuntur, tum vel maximè quæ ab optima. Magnum autem scelus sit, rem omnium & maximam & præstantissimam

Cap. 9.

fortunæ committere. Atque etiam ex definitione perspici potest quod quærimus. Diximus enim eam esse certi cuiusdam generis actionem animi ex virtute. Reliquorum autem bonorum partim adesse necesse est, partim sunt adiuuantia & vtilia quasi instrumenta. Sunt verò & hæc cum iis consentanea, quæ initio diximus. Ciuilis enim scientiæ finem esse summum bonum posuimus. Atqui hæc summam diligentiam adhibet in eo, vt ciues certo quodam modo affectos, atque adeò bonos efficiat, & ad res honestas agẽdas ideneos. Iure igitur nec bouem, nec equum, nec aliud animal vllum beatum ducimus. Nullum enim eorum est huius particeps actionis: ob eámque causam ne puer quidem beatus est: quippe cùm nondum per ætatem ad has vitæ actiones sit aptus. Quòd si qui interdum beati dicuntur, ob spem & expectationem, quam de se concitant, dicuntur beati. Opus est enim vndique, vt dixi, perfecta virtute completáque vita. Multæ enim in vita mutationes, variíque euentus existunt: fierique potest, vt qui vel maximè secunda fortuna vsus sit, is in maximas incidat calamitates in senectute, quod de Priamo iis in libris qui de Heroibus scripti sunt, ferunt fabulæ. Qui autem adeò secunda fortuna vsus sit tota vita, ad extremum autem misere è vita migrauerit, eum nemo duxerit in beatis.

Cap. 10. Sed quæret aliquis, num vel alius quisquam quoad viuat, iudicandus sit beatus: sed Solonis sententia, expectandum extremum tempus ætatis? Ac si ita quidem illud statuendum est, quæri adhuc potest, an etiam tum, cum mortem obiit, sit beatus, an potiùs id omnino absurdum sit? Nobis præsertim qui fœlicitatem in quadam operatione sta-

tuimus? Quòd si beatum esse negamus eum qui excesserit
è vita (nec hoc sanè vult Solon, sed tum denique aliquẽ tutò
beatum iudicari posse, cum iam a malis est miseriisque libe-
ratus) de hoc quoque nescio quid ambigi potest. Etenim
mortui suis quibusdam bonis & malis carere non videntur:
siquidem in viuos, etiam cum sensus abest, hæc ipsa cadunt:
vt decore & dedecore liberorum, adeóque omnium poste-
rorum rebus secundis & aduersis. Verum ista quoque du-
bitationem afferunt. Fieri enim potest, vt qui beatam vi-
tam vsque ad senectutem protulerit, migrauerítque è vita
conuenienter vitæ anteactæ, eum multæ in posteris muta-
tiones consequantur: quorum nonnulli boni viri sint de-
gántque vitam ex dignitate: alij contrà. Hoc verò per-
spicuum est, eos permultis modis à parentũ vita ratione po-
se desciscere. Absurdum itaque sit: si is quoque commute-
tur, qui oppetiit mortem, sitque aliàs miser, aliàs beatus.
Atqui videtur etiam absurdum, res posterorum, nihil ne ad
vllum quidem tempus ad parentes pertinere. Sed redeun-
dum est ad id quod primum fuit in quæstione positum. Eo
enim cognito, fortasse hoc quoque quod modò quærebamus,
intelligetur. Si igitur supremus vitæ dies expectandus est,
vt tum quisque beatus existimetur: non quòd tum beatus
ipse sit, sed quod antea fuerit! quid est quamobrem non sit
absurdum, cùm quisque beatus est, de eo id quod inest, non
vere dici? quòd propter varietatem fortunæ minimè pla-
ceat viuos dicere beatos, quódq; stabile aliquid ac firmum
vixque mutabile beatam vitam putemus: fortuna autem
sæpe in eosdem circumuoluatur. Perspicuum est enim, si e-
uenta fortunæ sequamur, eundem nos sæpe aliàs beatum,

aliàs miserum esse dicturos. Ita beatum, Chamæleonti similem, nec satis firma sede constitutum, affirmabimus. An id quidem minimè rectum est, fortunam consectari? Non enim in ea posita est bene aut malè vitæ degendæ ratio, sed eam certè humana, vt dixi, vita desiderat. Beatæ autem vitæ dominæ sunt virtuti consentaneæ actiones, contrariæque contrariæ. Hanc autem rationem id quoque confirmat quod modò quæsitum est: Nulla enim in re mortalium tanta inest firmitas, tanta constantia, quanta in actionibus virtutis. Nàm vel scientiis ipsis & firmiores & constantiores esse videntur. Atque earum vt quæque præstantissima est, ita stabilis maximè: idque accidit ob eam causam, quòd in iis maximè exercendis assidui sunt homines beati. In eo enim satis causæ esse videtur, cur nulla obliuione obruantur. Inerit ergo in beato quod quærimus, talísque per omne tempus vitæ futurus est. Semper enim vel omnium maximè, ea & geret, & cogitabit, quæ virtuti conguunt: & quemcunque fortuna casum inuexerit, hunc maximè decorè & aptè feret: quippe qui verè bonus sit, quadratus sine culpa. Cúmque multos casus fortuna inuehat, iique magnitudine & exiguitate differant, perspicuum est res secundas & aduersas, quæ paruæ interueniunt, nullum ad vitam momentum habere: quæ autem & magnæ & multæ prosperæ eueniunt, vitam efficient beatiorem. Nam & ornamentum afferre solent, & vsus earum honestatis plenus est, atque virtutis. Quæ autem contra accidunt, eæ vitam beatam illæ quidem turbant & labefactant (nam & dolores afferunt, & multas actiones impediunt) sed tamen ipsa honestas tum splendescit, apparétque maximè cùm

sedatè ac moderatè quis, & multas & magnas perfert ca-
lamitates: non quod ille quasi stolidus illa non sentiat, sed
quod generoso, forti, magnóque sit animo præditus. Quod
si actiones sunt, vt dixi, vitæ dominæ, certè nemo qui sit
beatus, fieri miser vllo pacto potest. Neque enim vnquam
quæ odio digna sunt, quæque mala, faciet! Eum enim qui
verè bonus sit, quique verè sapiat, putamus omnes casus
fortunæ aptè & decorè esse laturum: & ex iis quæ sibi sup-
petant, semper pulcherrima quæque facturum. Non secus
quàm bonus imperator exercitu eo qui adest, semper vt v-
sus belli ferat, commodissimè vtitur: & sutor ex sibi oblatis
pellibus, calceum aptissimum conficit: eodémque modo cæ-
teri omnes artifices. Quod si ita est, qui beatus sit, miser fie-
ri nullo modo potest: non tamen beatus siquidem, si in Pria-
mi calamitates incidat. Nec varius quidem certè est &
mutabilis. Neque enim ex fœlicitatis possessione facilè de-
ijciétur: nec id leues calamitates, sed & multæ & magnæ,
efficient. Et qui in has quidem inciderit calamitates, ite-
rum beatus non fiet exiguo tempore: sed si quo modo id eue-
niat, eo fiet, quod longo quodam peracto temporis spatio
interim res magnas ac præclaras rursus sit consecutus. Quid
igitur prohibet nos beatum dicere eum, qui virtutis perfe-
ctæ actiones sequatur, quique in bonorum externorum sa-
tis magna abundantia viuat, non aliqua parte ætatis, sed
in omni vita confecta atque absoluta? An id quoque ad
dendum, qui ita vitam sit acturus, & mortem quæ antea-
ctam vitam deceat, obiturus? quandoquidem incertus est
rerum futurarum exitus, & beatitudinem finem esse, ac
quiddam omni ex parte perfectum ponimus. Quæ cùm ita

ſint, beatos ex uiuis dicemus eos, quibus adſint, permanſuráque ſint, quæ enumerata ſunt omnia: idque in hominibus intellectum uolo. Atque hæc quidem hactenus.

Μακαρίους δ' ἀνθρώπους.) Ne quis ea quæ de beatis dixerat Ariſt. ad deos transferret, hæc verba adiecit: eámque eſſe Ariſt. ſententiam teſtatur Euſtratius.

Cap. II. *Caſus autem poſterorum ac amicorum omnium nihil quidem nos omnino attingere, ualde ab amici officio alienum ſit, ſententiiſque omniũ repugnare uideatur. At cum multi caſu ſint, iique longè ac latè differant, cúmque alij magis, alij minus non attingant, ſigillatim omnia perſequi lõgum ſit & infinitum: generaliter & primis uelut lineamentis fortaſſe ſit ſatis. Vt igitur aduerſæ res quæ ipſis nobis accidunt, aliæ momentum pondúſq; habent ad uitam: aliæ leuiores cẽſentur: ſic eæ omnes quæ amicis. Sed permultum intereſt, uiuis an mortuis mala contingant: ac multò etiam magis, quàm utrum res iniquæ & ſceleratæ in tragœdiis populo exhibeantur, an gerantur. Atque hinc quidem caſuum deſcrimen eſt colligendum, uel potiùs quærendum eſt de mortuis, utrum alicuius boni aut contrarij participes ſint. ex iis enim uidetur effici, etia ſi quid ad eos pertineat, ſiue boni, ſiue mali: obſcurum id & exiguum, aut ſimpliciter, aut illis certè eſſe: ſin minùs, certè non tantam uim in eo eſſe, ut uel beatos eos qui non erant priùs, efficiat: uel iis, qui antè beati erant, beatam uitam eripiat. Ergo hoc quidem iam apparet, res & ſecundas amicorum & aduerſas, ad mortuos pertinere illas quidem: ſed ita, & ad eum uſque modum, ut neque ex beatis non beatos faciant, neque aliud quicquam generis eiuſdem.*

Τὸ μὲν μηδενῶν συμβάλλεσθαι.) Hic συμβάλλεσθαι eodem modo accipitur, quo paulò poſt cùm ſcribit, συμβάλλεσθαι μὲν οὖν τὰ φαίνονται τοῖς νεκροῖσιν αἱ εὐτυχ-

ξαι πρὸς εὖ ζῆν. Vbi non dubium est vertendum esse pertinere, attingere. Quo etiam modo in principio verti debet, non ita accipi quasi significet ad beatam vitam conferre.

Προϋπάρχειν ἐν ταῖς τραγῳδίαις, ἢ πράττεσθαι.) Locum hunc non videntur intellexisse alij interpretes: quia nesciunt προϋπάρχειν hoc loco significare palam exhiberi, populo proponi, vt sit sensus tantùm, ac multò ampliùs interest vtrum viuis an mortuis mala accidant, quàm vtrum scelus aliquod & facinus indignũ re ipsa geratur, an in tragœdia populo exhibeatur, ac velut repræsentetur.

Atque hinc quidem casuum discrimen.) Hæc verba hanc continent sententiam, Ex differentia rerum quæ in tragœdiis exhibentur, & quæ re ipsa geruntur, colligi debet discrimen inter ea quæ viuis & mortuis accidunt. Quando enim magis mouemur eodem scelere cùm nobis spectatribus perpetratur, quàm si in tragœdiis abactore aliquo repræsentetur: tantò quæ ad viuos pertinent plus habent momenti, quàm quæ ad mortuos.

His ita expositis, iam fœlicitas in bonis sit laudabilibus, an potius in iis quæ honore & veneratione quadam sunt prosequenda, videamus. Est enim perspicuum, eam non esse inter facultates numerandam. Igitur hoc apparet, quod laudabile sit, omne ob eam causam laudibus affici, quod certa quadam qualitate sit præditum, & ad aliud quoddam modo referatur. Nam & iustos & fortes, & vno nomine viros bonos, & virtutem ipsam propter opera, actionésque laudamus. Et robustos, & qui ad cursum valent homines, cæterósque eiusdem generis propterea laudamus, quod natura certa quadam qualitate sunt præditi: adeóque apti sunt ad gerendas res aliquas, quæ in bonis sunt & honestis. Quod ex iis etiam laudibus, quæ diis tribuuntur, perspici potest. Ridiculas enim eas fore constat, si ad nos referantur. Hoc verò fit propterea, quòd laudes, vt dixi, nisi quadam cum altero collatione non intelliguntur. Quòd si laus huius generis rerum est propria, id perspicuum est, vt quicque optimum est, ita minime laudem in ipsum cadere, sed maius aliquid & præstantius. Idáne ex eo etiam perspicitur, quòd & deos beatorum fœliciumque elogio ornamus: & viros, vt quisque ad deum proximè ac-

Cap. 12.

cedit. Eadémque est rerum bonarum ratio. Beatitudinem enim nemo ornat laudibus, vt iustitiã sed quasi rem multo & diuiniorem & meliorem suspicit, & quadam veneratione prosequitur. Atque etiam recte videtur Eudoxus patrocinium voluptatis, vt primæ ei partes tribuerentur, suscepisse. Nam cùm in bonis esset ipsa, neque laudaretur, declarari putabat, eam rebus omnibus præstare, quæ essent laudabiles: in eo autem genere deum modo ac summum bonum esse, quoniam ad ea cætera referrentur. Est enim virtutis laus propria: quippe cùm ea apti simus ad res honestas gerendas. Encomia autem propria sunt factorum tam corporis, quàm animi! Sed hæc quidem accuratiùs inuestigare eorum sit potiùs, qui in encomiis versati sunt: nobis autem ex iis perspicuum est quæ dicta sunt, in bonis iis quæ veneranda nobis & summo honore prosequenda sunt, perfectísque rebus numerari beatam vitam. Quod ita esse hinc etiam apparet, quod est principium: eius enim causa omnes omnia facimus, principium autem ídque omne in quo causa est cur cætera bona sint, vt res veneranda atque diuina, æstimandum est.

Est enim perspicuum eam non esse inter facultates numerandam.] Vide huius loci interpretationem primo lib. magnorum moralium non longè à principio.

Sed quoniam beatitudo est actio quædam animi virtuti vndique absolutæ congruens, iam virtus ipsa considerandа cognoscendáque est. Nam etiam ipsa fœlicitas melius fortasse hoc modo intelligetur. Atque is quidem videtur qui ciuili scientia verè instructus est, huic maximam dedisse operam: quoniam hoc vult, hoc spectat, & ciues bonos efficere & obedientes legibus. Exemplo nobis sunt Creten-

ſium & Lacedæmoniorum ligiſlatores, & ſi qui alij in eo genere floruerunt. Quòd ſi hæc ciuilis ſcientiæ propria eſt conſideratio, perſpicuum eſt cum eo inſtituto, quod iam inde ab initio ſecuti ſumus, hanc de virtute congruere & conſentire quæſtionem. Videndum eſt ſcilicet, quæ ſit hominis virtus. Etenim de ſummo bono hominis, & de beata hominis vita quærebamus. Sed virtutem dicimus hominis, non quæ corporis eſt, ſed quæ animi, & beatam certè vitam animi actum eſſe dicimus. Quæ cùm ita ſint, perſpicuum eſt, vt eum oculos noſſe oportet, qui eos curaturus ſit, eorúmve corpus, qui totum: ſic eum qui ciuili ratione inſtructus ſit, ea quæ ad animum pertinent, quodam modo cognita habere oportere: ac multo etiam magis, quò præſtantior ciuilis ſcientia & melior, quàm medicina eſt. Et clari profectò, nobiléſque medici multum operæ in cognitione corporis ponunt. Conſiderandus igitur ei animus eſt, qui ciuili ſcientia eſt præditus. Conſiderandus eſt autem horum cauſa, & quoad ſatis ſit ad ea quæ inueſtigantur. Nam ſubtilior accuratiórque eius explicatio maioris negotij ſit, quàm ipſa illa res, quæ ſit propoſita. Sed quoniam de ipſa in iis, quas ἐξωτερικοὺς appellamus, diſputationibus, ſatis multa dicuntur, illinc aſſumenda ſunt quæ ad hunc locum pertinebunt: veluti vnam eius partem expertem eſſe rationis participem alteram. Vtrùm autem ſeparatæ ac diſtinctæ ſint, vt partes corporis, & quicquid ex partibus cõſtat, an ratione & cognitione duæ res ſint, quæ reipſa ſeparari nequeant: quemadmodum in ambitu circuli, id quod conuexum dicitur, & concauum: ad id quod agimus, nihil intereſt. Eius autem partis, quæ rationis expers eſt, vna

pars est, quæ & communis esse, & stirpibus attributa videtur: eam dico, quæ causa est cur alamur & augeamur. Hanc enim vim animi, cùm in iis omnibus quæ aluntur, atque adeò in ipsis qui adhuc formantur fœtibus licet ponere, tum verò eandem in perfectis etiam animantibus: hanc enim aptius est, quàm aliam. Huius itaque virtus communis est, non hominis propria: quippe cùm tum maximè cùm somnus capitur, hæc siue pars, siue vis suo officio & munere fungatur. Atqui bonus ab improbo in somno minimè internoscitur: vnde etiam fertur nihil inter beatos ac miseros per dimidiatum vitæ tempus interesse. Idque iure ac merito accidit, propterea quòd somnus, animi est requies, cessatio ve, quâ bonus est vel malus, nisi si quæ motiones tum fortè leuiter animum pertingant: eoque meliora visa sint bonorum, quàm quorumlibet. Sed de iis quidem satis. Et alendi certè vis prætermittenda est, quandoquidem virtutis humanæ expers est. Alia autem est etiam vis animi rationis expers, quæ tamen rationis quodammodo est particeps. Nam & continentis impotentísque rationem, & animi partem eam, quæ rationem habet, laudamus. Rectè enim & ad optimas quasque res inuitat, atque hortatur. Constat autem in eis aliquid aliud esse innatum præter rationẽ, quod repugnat, obsistitque rationi. Vt enim in corpore, si partes neruorum resolutione occupatas dextrorsum moueri velimus, contrà ad læuam peruerse feruntur: sic in animo. distrahuntur enim in contraris partes impotentium cupiditates. Sed in corpore id quod transuersum agitur, videmus, in animo non videmus. Sed nihilominus tamen existimare debemus inesse quiddam in ani-

mo præter rationem, quod ei reſiſtat & repugnet. Quomodo autem ab ea diuerſum ſit, nihil intereſt. Hoc autem vt dixi, rationis eſt etiam particeps: paret enim rationi in continẽte: ac multò etiam magis in temperatis & fortibus, in quibus omnia cum ratione congruunt. Hoc ergo apparet vim expertem rationis eſſe duplicem: vis enim ea quæ vegetatrix (vt ſic dicam) vocatur, nulla ex parte rationis eſt particeps: concupiſcendi autem & omnino appetendi quodammodo ea vtitur, quatenus ei obedit atque paret. Atque eam dicimus cõpotem rationis in ea ſignificatione, qua aliquem dicimus habere rationem patris & amicorum: non autem in illa, qua dicimus quempiam aſſecutum eſſe rationes rerum mathematicarum. Porrò vim expertem rationis parêre quodammodo rationi, & admonitiones & obiurgationes & adhortationes indicant. Quòd ſi conſtendum eſt, hanc quoque vim compotem eſſe rationis, duplex vis erit rationis particeps: alia proprie & in ſeipſa: alia veluti filius qui obedit patri. Hac autem diſtinctione & diſſimilitudine etiam virtus diuiditur: alias enim mentis atque rationis eſſe dicimus, alias morales. Rationis ſunt, vt ſapientia, vt ſagacitas, vt prudentia: morales, vt liberalitas & temperantia. Nam cùm de moribus alicuius loquimur, non ſapientem eum vel ſagacem dicimus, ſed clementem, aut temperantem. Verùm nos ſapientem etiam laudamus ob animi habitum: habitus autem eos qui laudabiles ſunt, virtutes eſſe dicimus.

Rectè enim et ad optimas quaſque res.] ſic Vetus interpres & Argyropylus legerunt: atque ea eſt germana Ariſt. ſententia.

Κατὰ τὴν ἐξ ἀρχῆς προαίρεσιν.) Aptiùs hoc loco προαίρεσις vertetur propoſitum aut inſtitutum quàm conſilium. Non eſt ergo ſemper retinendum idem verbũ Latinum pro eodem Græco.

ETHIC. ARIST.

ARISTOTELIS Ethicorum liber II.

ARGVMENTVM.

Virtutem generatim explicat tribus quæstionibus an sit, quid sit & qualis sit. Virtutem esse declarat maximè caussis & adiunctis. Nam cùm virtus sit duplex, vna rationis, altera morum, illa comparatur, augetúrque maiori ex parte, doctrina, quæ ab alio percipitur: hæc verò actionibus honestis antecedentibus & frequentatis, quæ & corrumpitur quidem ab eo quod nimium est, & parum. Conseruatur autem mediocritate dominante. Voluptas & dolor, quæ actionibus adiunguntur, probabiliter demonstrant virtutem homini agenti inesse aut non inesse. Nam qui se à voluptatibus abstinet, eóque ipso lætitia perfunditur, is temperans, qui id moleste perfert, is intemperans existimandus est. Nec verò omnis qui iusta agit, iustus est, sed opus est, vt sciens, vt eligens ob bonum finem, vt volens constanter & perpetuò iustas actiones exerceat. Quid sit virtus exponitur genere proprio, definitione & diuisione. Genus virtutis neque est perturbatio, neque facultas naturalis, quoniam ab his nec probi nec improbi nominamur, nec laudamur nec vituperamur, sed est habitus reddens hominem bonũ, cui inest. Vel habitus electione cõstans in mediocritate positus, a quorum attingit, ratione definita, & vt prudens præscripserit. Virtutem esse mediocritatem inter duo vitia extrema tractatur distributione, virtutis in suas species enumeratis singularum extremis. Qualis sit virtus ostenditur repugnantibus, comparatis & modo comparandæ virtutis.

Cap. I.

SED cùm duo sint virtutum genera, vnum earum quas mentis rationísque esse dicimus, alterum earum quas morales: rationis quidem magna ex parte à doctrina ortum & incrementum habent. Itaque & experientia indigent & tempore: ἡ δ' ἠθικὴ, id est moralis virtus, ἐξ ἔθους, id est more & consuetudine comparatur. Vnde etiam nomẽ duxit, quod paulum ἀπὸ τοῦ ἔθους deflexit. Ex quo etiam perspicuum est, nullam omnino moralium virtutum ingenerari nobis natura. Nihil enim quod insitum est natura, aliter atque est assuescit: vt lapis qui natura deorsum fertur, nunquam insublime ferri assuescat, ne si decies millies quidem eum quis sursum vt consuefaciat, emittat. Eodémq; modo, nec ignis deorsum, nec aliud quicquam aliter, atque ipsius natura fe-

rat, potest assuescere. Non igitur à natura, neque præter naturam in nobis insunt virtutes: sed cùm natura apti simus ad eas percipiendas, consuetudine perficiuntur. Iam verò quæ, nobis à natura tributa sunt, eorum primum facultates accipimus, deinde officiis muneribúsque fungimur. Quod in sensibus cernere licet. Neque enim ex eo quod crebrò aut aspeximus, aut audiuimus, sensus accepimus: sed contra eorum cum iam essemus compotes, eis usi sumus, non cùm usi essemus, eos habuimus. At verò, virtutes accipimus, ex iis quæ antecesserunt actionibus: quod in cæteris fit artibus. Quæ enim facienda sunt cùm didicimus, ea ipsa agendo discimus. Veluti non aliter architecti existunt, quàm ædificando, & citharœdi fidibus canendo. Similiter tum iusti, temperantes fortésque efficimur, cùm ea facimus quæ iusta sunt, quæ temperata, quæ fortia. Argumento etiam huic rei est, quod fieri solet in Respub. in quibus legislatores consuetudine & exercitatione ciues bonos efficiunt. Cúmque sit hæc omnium qui leges ponunt, sententia & voluntas: tum verò qui id minus, recte faciunt, aberrant, quippe cùm hac potissimum re præstet vitiosæ bene constituta Respub. Iam ex iisdem rebus & per easdem oritur virtus omnis, & interitum accipit. Similis est ratio artium omnium. Nam ex eo quod vtuntur fidibus, & boni & mali citharœdi existunt. Eadem est ratio architectorum, reliquorúmque omnium. Nam, ex eo quòd scitè & peritè ædificant, boni architecti futuri sunt: ex eo quód inscitè, mali. Quod ni ita se haberet, nihil doctore opus esset omnésque boni aut mali artifices nascerẽtur. Eadem igitur virtutum causa & sententia est. Nam agendis iis, quæ pactis continentur iis

quæ hominibus inter ipsos intercedunt, alij iusti, alij iniusti efficimur. Et cùm in iis versamur, quæ acerba molestáque sunt, assuescimúsque aut timere aut confidere, nonnulli fortes, quidem timidi ignauíque existunt. Eodémque modo de cupiditatibus & iracundia iudicandum est: quoniam alij temperantes & clementes, alij intemperati & iracundi efficiuntur: hi quia sic, illi quia secùs in iisdem versentur. Atque vt vno verbo finiam, ex sui similibus actionibus omnes habitus oriuntur. Itaque efficiendæ & conformandæ sunt certo quodam genere actiones: quandoquidem earum differentias habitus consequuntur. Non igitur parui, sed magnopere, atque adeo ad summam refert, vtrum sic, an secus iam inde ab adolescentia assuescamus.

Η᾽ Ν ἤθιλ] Quia Atist. à Græci vocabuli etymologia argumentum ducit, propterea verba Græca relinquenda fuerunt.

Cap. 2. *Quoniam igitur huic tractationi, quam suscepimus, non est proposita contemplatio quasi finis, vt cæteris (id enim agimus non vt quid virtus sit, intelligamus, sed vt boni efficiamur, quandoquidem vsus eius nullus foret) necesse est quis sit actionum proprius modus, considerare. In iis enim situm est, quemadmodum dixi, vt habitus huius vel illius generis oriantur. Ac illud quidem commune est omnium, atque id quidem hoc loco positum sit, rectæ rationi conuenienter agere oportere: de eo autem differetur posteriùs & quid sit recta ratio, & quemadmodum affecta sit ad reliquas virtutes. Illud autem prius constare & conuenire debet, omnem quæ de rebus agendis habetur orationem, rudiùs informari, non subtiliter tractari oportere, vt initio diximus: quòd rationes pro rei subiectæ natura exigendæ sint. Vt autem in rebus salubribus, sic in actionibus, iisque*

omnibus quæ conducunt, nihil ineſt firmitatis, nihil ſtabilitatis. Cúmque eiuſmodi ſit, quæ de genere toto habetur oratio, multò etiam minùs ſubtilis & accurata erit, quæ de rebus ſingulis habetur: quoniam nec ſub artem, nec ſub præceptionem vllam cadunt, ſed vt in medicina & gubernatoris arte, ſic iis omnibus qui in actione rerũ verſantur, temporis occaſioníque & opportunitatis habenda ratio eſt. Quanquam autem id eſt quod nunc agimus eiuſmodi, tamen danda omnino opera eſt, vt oratione huic incomodo opem aliquam feramus. Hoc igitur imprimis intelligendum eſt, iis omnibus quæ ſunt in hoc genere, ab eo quod nimium & parum eſt, interitum impendere natura (perſpicuis enim & apertis teſtimoniis ad res obſcuras illuſtrandas vtendum eſt) quemadmodum licet in viribus & valetudine cernere. Nam & quæ ſupra modum, & quæ infra modum ſunt exercitationes, labefactant vires, euertúntque funditus: & poculenta ac eſculenta, ſi modũ tranſeant, vel infra modum adhibeantur, labefactant valetudinẽ eodem modo: ſin moderata ſint, & modica, pariũt, augent, ac tuentur. Sic ergo & in temperantia, & in fortitudine, cęteríſque virtutibus ſe res habet. Qui enim fugit, timetque pericula omnia, quique nullum perfert, is timidus & ignauus euadit: & qui nullum timet omnino, ſed adit omnia, is audax exiſtit. Itémq; qui omnibus voluptatibus perfruitur, nullaque abſtinet, intemperans: qui verò omnes fugit, vt ſolẽt agreſtes, is ſtupidus & veluti ſenſus omnis expers iudicandus eſt: Tollitur enim temperantia, tollitur fortitudo ab eo quod nimium eſt & parum. At verò ſaluæ ſunt & incolumes mediocritate dominante. Verùm non ſolùm ortus incrementá-

que & interitus ex iisdem & ab iisdem efficiuntur, sed in iisdem etiam actionum status constabit. Quemadmodum enim aliis in rebus quæ euidentiores sunt, id contigit, veluti in viribus, vt ex eo gignantur, quòd & multum cibi capiatur & multi labores ferantur, quæ eadem is qui volet viribus, efficere potest maximè: sic in virtutibus. Nam & ex eo temperantes efficimur, quòd nos à voluptatibus abstinemus: & cùm ij sumus, ab iis facillimè abstinere possumus. Similis est ratio fortitudinis. Nam cùm & ea quæ terribilia sunt, despicere, & eadem magno animo ac forti perferre assuescimus, tum fortes existimus: & cum tales sumus, quæ terrorem afferunt, facillime sustinemus.

Cap. 3. Habitus autem sua quadam velut nota, ex voluptate ac dolore, quæ facta & opera consequuntur, perspici debent. Nam qui se à voluptatibus abstinet eoque ipso lætatur, is temperans: qui id molestè acerbéque fert, is intemperans putandus est. Et qui molesta quæ sunt, forti ac magno animo perfert, exeóque voluptatem percipit, aut certè non fert grauiter, fortis: qui ægrè fert, is habendus timidus. Virtus enim moralis in voluptatibus ac doloribus tota versatur. Nam & voluptate ad ea gerenda quæ prauа sunt, impellimur: & dolore à rectè factis auocamur. Itaque Platonis sententia ita educatos esse omnes oportet iam inde à iuuentute, vt quibus oportet lætentur & doleant. Recta est enim hæc educatio. Iam verò si in actionibus & perturbationibus versantur virtutes: omnem autem perturbationem actionémque omnem sequitur voluptas aut dolor: ob eam certè causam virtus in voluptatibus doloribúsque versabitur. Hoc etiam supplicia quæ ex ipsis desumuntur,

indicant: medicinæ enim & curationes quædam sunt. At curationes ex contrariis rebus solent effici. Præterea habitus omnis animi, quemadmodum suprà dixi, quibus in rebus positum est, vt melior vel deterior gignatur ad eas spectat, & in iis vim suam & naturam omnem obtinet. At voluptatibus autem & doloribus habitus vitiosi nascuntur: propterea quod ea quis sequatur aut caueat, in hoc voluptatum dolorúmque genere, vel quæ sequenda fugiendáque non sint, vel quando, vel quomodo sequenda non sint & cauenda, quæque sunt eiusdem generis, quæ ratio præscribat. Itaque virtutes, vacuitates quasdam esse perturbationum tranquillitatésque animi definiunt. Haud probè quidem, quòd simpliciter ita dicant, nec adiungant, quomodo decet, aut quomodo non decet, & quando, & cætera omnia quæ addi solent. Ergo hoc ponitur, virtutem, quæ in hoc genere est, in voluptatibus, doloribúsque ita versari, vt optima quæque agat: vitium contrà. Quod etiam ex his quæ sequuntur manifestum fieri potest, cùm tria sint quæ sequimur, & tria quæ declinamus, honestum, vtile, iucundum: & tria quæ superioribus contraria sunt, turpe, inutile, molestũ: cùm in iis omnibus vir bonus rectè se gerit, & improbus prauè, tum vel maximè in voluptatibus. Nam & communis est animantium omnium, & ea omnia consequitur quæ expetuntur. Etenim quicquid honestum, quicquid vile: id omne iucundum videtur. Præterea quoniam vnà nobiscum iam inde ab incunabulis educata est, difficile factu est hanc perturbationem euellere omnino quæ penitus in vitia implicata insidet. Atque etiam actiones factáque nostra dirigimus voluptate & dolore: alij minus, alij ma-

gis. Ob eã igitur causam necesse est in his versari hoc nostrũ institutum. Non enim in eo parua momenta sunt ad officia & actiones, si quis rectè aut improbè lætetur aut doleat. Præterea difficilius est, vt ait Heraclitus, voluptati obsistere, quàm iracundiæ. At semper vt quicque habet difficultatis & negotij plurimũ, ita in eo potissimũ ars omnis virtúsque versatur. Quod enim ibi præclarè fit, maiorem obtinet & splendorem & dignitatem. Quare ob eam etiam causam necesse est in dolore ac voluptate versetur omnis quæ de moribus & quæ de ciuili ratione instituitur disputatio. Nam qui his rectè vtetur, is vir bonus: qui peruersè, improbus futurus est. Atque hoc quidem iam explicatum est, virtutem in voluptatibus doloribúsq; versari: & quibus ex rebus gignitur, ab iis & augeri eam & interire, vt tamen eodem modo non fiant: & eandem à quibus rebus nata sit, in iis munus suum & officium exequi.

Σημεῖον δὲ πιεῖσθαι τῶν ἐξεων.] In his verbis subaudiendum est verbum δεῖ.

Cap. 4. Quærat autem aliquis, quid sit cur dicamus res iustas agendo, iustos: & temperatas, temperantes, existere oportere: præsertim cùm si res agant iustas & modestas, iusti iam sint ac temperantes? Vt si qui grammatici musicique munere fungantur, ij grammatici sint & musici necesse est. Annne in artibus quidem ita fit? Fieri enim potest, vt quis quid præstet eorum quæ grammatici arte continentur, & fortuitò, & alio subiiciente. Ergo tum denique grammaticus erit, si quid eorum quę grammatici propria sunt, atque id grammaticè faciet, hoc est, si ab ea quæ in eo inest arte grammatica proficiscatur. Iámne artium quidem ac virtutum est eadem ratio, propterea quòd quæ ab artibus pro-

ficiscuntur, suam habent in seipsis perfectionem: ideóque satis est ea certo quodam modo affici. At vero quæ virtute geruntur, non si ea quodam modo affecta sint, continuò iustè temperatéque efficiuntur: sed si is etiam qui faciat, quodammodo sit affectus: primum, si sciens: deinde, si cõsilio adhibito atque adeo propter ea ipsa suscepto: tertio, si constanti, firma & stabili voluntate faciat. Quorum præter scientiam nihil artibus tenendis percipiendisque requiritur. Ad virtutes vero, cum scientia parum aut nihil valet, tum non parua, sed omnia momenta sunt in cæteris: quæ quidem etiam consuetudine iustè moderatéque viuendi comparantur. Ergo tum denique res iustæ ac temperatæ dicuntur, cùm eiusmodi sunt, quales viri iusti temperantésque agerent. Iustus autem & temperans is demum est, non qui eas res gerat omnino, sed qui ita gerat, vt iusti & temperantes faciunt. Hoc ergo verè dicitur iustè temperatéque agendo, iustos moderatósque viros effici. At qui has actiones non sequatur, is nunquam est futurus bonus? Sed plerique cùm hæc non faciant, ita denique se & probos fore & verè philosophari putant, si ad disputationes confugiant. Ij simile aliquid faciunt quod ægroti, qui medicos illi quidem libenter audiunt ac diligenter, sed nihil eorum quæ præscripta sunt, faciunt. Quemadmodum igitur illis nunquam bene habiturum est corpus qui ita curantur: sic nec iis animus, qui isto modo philosophantur.

In omnibus ferè Græcis codicibus legitur ὥσπερ καὶ ἐκ τοῦ. vbi legendum est ἅπερ καὶ ἐκ τοῦ.

His expositis deinceps videndum est, quid sit virtus. Cap. 5.

Quoniam igitur tria sunt in animo, perturbationes, facul-

tates, habitus, ex his tribus vnum aliquid sit virtus necesse est. Perturbationes autem appello, vt cupiditatem, vt iram, vt excandescentiam, timorem, confidentiam, vt inuidiam, gaudium, amicitiam, vt odium, desiderium, æmulationem, misericordiã, & omnino ea omnia, quæ vel voluptas consequitur, vel dolor Facultates autem, quibus ad perturbationes accipiẽdas apti sumus, dicimus, vt per quas vel irasci possumus, vel dolere, vel misereri. Habitus verò sunt, quibus probè vel malè affecti sumus in perturbationibus: velut cùm irascimur, si vehemẽtius vel remissius, malè: sin mediocriter, bene affecti sumus: itémque in cæteris. Ac perturbationes quidem nec virtutes sunt, nec vitia, propterea quòd ex perturbationibus, nec probi nec improbi nominamur, ex virtutibus & vitiis nominamur: quódque perturbationes nobis nec laudi danter, nec vitio. Nec enim qui timet laudatur, nec qui irascitur: nec qui omnino ac simpliciter irascitur, vituperatur, sed qui certo quodam modo. At verò propter virtutes & vitia laudamur, aut vituperamur. Iam irascimur & timemus inconsultò: virtutes, aut quædã agendi consilia sunt, aut non sine consilio. Ad hæc, perturbationibus moueri dicimur: virtutibus & vitiis non moueri, sed quodãmodo affici dicimur: ob easdem autem causas nec facultates quidem sunt. Neq; enim eò vel boni dicimur aut mali, quòd sit in nobis simplex & nuda agendi facultas: nec verò laudamur aut vituperamur. Præterea facultate præditi sumus naturâ, boni vel improbi non sumus: quod suprà ostendimus. Quòd si nec perturbationes sunt virtutes, nec facultates, relinquitur vt sint habitus. Ac virtutis quidem quod sit genus, dictum est.

Dicendum est autem non solùm habitum esse virtutem, Cap. 6.
sed etiam qualis habitus sit. Hoc igitur confitendum est,
virtutem omnem id in quo ipsa sit, probè affectum redde-
re, officiúmque ac munus eius probè exequi. Vt virtus oculi:
& ipsum oculum integrum efficit, & munus eius perfe-
ctum: virtute enim oculi probè cernimus, Itémque virtus
equi, equum bonum efficit, & ad cursum aptum, & ad ve-
hendum eum qui insideat, ad expectandósque hostes ido-
neum. Quod si ita est in omnibus, certè hominis virtus
habitus erit, quo & bonus homo efficitur, & officio suo ac
munere probè fungitur. Hoc quemadmodum futurum sit
etiam diximus, & nunc ita denique perspici poterit, si qua-
lis eius sit natura, etiam atque etiam considerabimus. Licet
quidem in omni natura cohærente & continuata, quæque
secari potest & diuidi, quod maius sit, notare, & quod mi-
mus, & quod æquale est: ídq; vel in reipsa, vel habita ra-
tione nostri. Æquale autem dicitur, id quod medium est
inter exuperationem & defectionem. Rei autem medium
appello id, quod æquè abest ab vtraque extremitate: ídque
apud omnes vnum idémque est. Ad nos autem id medium
est, quod nec transit modum, nec deserit, quod nec vnum, nec
idem, nec apud omnes. Vt si decem multa sint, duo verò pau-
ca, sex pro rei medio capientur: æquè enim superant atque
superantur. Hoc autem medium est proportione arithme-
tica. At quod nobis medium est, non ita sumitur. Non
enim si cui decem minas edere nimium sit, duas parum, sex
minas aliptes omnino præscribat. Est enim hoc fortasse ni-
mium vel parum ei qui accipiet, vt Miloni parum, tyroni
nimium. Eadem est & cursus ratio & luctæ. Hoc igitur

modo nimium & parum qui scientia sunt præditi vitant, mediocritatem & exquirunt & persequuntur: ac mediocritatem non rei quidem, sed quæ à nobis ducitur. Quòd si omnis scientia ita denique præclarè suum munus exequitur & absoluit, si mediocritatem intuetur, ad eámque sua opera omnia adducit (hinc solent de operibus iis quæ perfecta sunt & absoluta prædicare, nec iis detrahi quicquam nec addi posse, quasi nimium & parum omnem præstantiam laudémque rei labefactet, conseruétque mediocritas) boni autem artifices hoc ipsum, vt dixi, intuentes operantur. & vt natura, sic certior accuratiórve ac præstantior est virtus, quàm ars omnis: profectò mediocritatis ea sit indagatrix necesse est. De ea loquor quæ more perficitur, vt quæ in perturbationibus actionibúsque consistit, in quibus est & nimium, & parum, & mediocritas, vt & timere, & confidere, & concupiscere, & irasci, & misereri, & omnino gaudere, & dolere possumus & nimium, & parum, quorum vtrunque non rectè fit. At vero quando, quibus de causis, & in quo, decet, cuiúsque rei causa & quomodo oportet hæc facere omnia, medium quiddam est ac optimum: quod quidem in virtute situm est. Eodem etiam modo sunt in actionibus nimium & parum, & mediocritas. At virtus in perturbationibus, actionibúsque versatur: in quibus & exuperatio in peccatis censetur, & defectio vituperatur: mediocritas in laude ducitur & rectè factis, quæ duo virtutis sunt maximè propria. Est igitur virtus, mediocritas quædam, vt quæ medium assequi & quasi scopum propositum attingere conatur. Iam peccare licet multis modis, quoniam vt Pythagoræi coniiciebant,

malum infinitum incertúmque est, bonum certum atque finitum. At verò rectè facere uno modo licet. Itaque illud facilè, hoc difficile est. Nam à signo discedere facile est: at ipsum attingere, magni negotij. Ob eámq; causam nimium & parum in vitiis numerantur, mediocritas in virtute. Etenim ait ille:

Vnica virtuti stat via, multa malis.

Est igitur virtus, habitus constans agendi consilio, in mediocritate positus, ea quæ ad nos est, ratione definita, & vt prudens præscripserit. Mediocritas autem duorum vitiorum est: quorum alterum eò quòd nimium est, alterum eò quòd parum est, cernitur. Itémque ob id, quòd alia vitia in perturbationibus & actionibus decorum modúmque trãseant, alia ab eo deficiant: in quibus virtus & inuenit & sequitur mediocritatem. Quocirca virtus natura sua et definitione, qua quid sit explicatur, mediocritas est, rei verò optimæ perfectæque ratione, extremitas. Neque vero in omnem actionem & perturbationem cadit mediocritas. Sunt enim quædam quæ statim nomine suo vitiosa declarari videntur, vt maleuolentia, vt impudentia, vt inuidia: & in factis, vt adulterium, furtum, cædes. Hæc enim omnia, quæque sunt eiusdem generis, ipsa per se vitiosa dicuntur: non eorum exuperationes & defectiones. Nunquam igitur in rectè factis esse hæc possunt, sed in iis semper offenditur: nec in his talibus illud rectè aut non rectè versatur, adulterando qua cum decet, vel quando, vel quemadmodum oportet: sed absolute quibus eorum facere vitiosum est. Perinde igitur est, ac si quis in iniustitia, in ignauia, in intemperantia mediocritatem requirat &

exuperationem & defectionem. Nam isto quidem modo erit exuperationis & defectionis mediocritas, & exuperationis etiam exuperatio, defectionísque defectio. Vt igitur temperantiæ & fortitudinis nec nimium est, nec parum, propterea quòd mediocritas quodammodo in summo sita est: sic istorum modus nullus est, nec nimium, nec parum: sed vt quicque gestum est, ita est in vitio: omnino enim nec eius quod nimium est & parum, modus vllus est, nec mediocritatis nimium & parum.

Est igitur virtus habitus constans agendi consilio.] Ego ἕξιν προαιρετικὴν ita latinè reddidi: quia teste Arist. initio lib. 6. moralis, virtus ob id προαιρετικὴ dicitur, quòd agendi consilio tota ferè nititur. hac autem differentia ab artibus & scientiis distinguitur: reliquæ differentiæ virtutem à vitio distinguunt. Id parum videntur animaduertisse alij interpretes.

Cap. 7. *Hæc autem non solùm de genere toto virtutum dicenda sunt, sed ad singulas etiam conuenit accommodare. Omnium enim disputationum, quæ de actionibus instituuntur, quæ ad genus vniuersum accommodantur, latius illæ quidem patent: quæ vero ad partes, ad veritatem propius accedunt. In singulis enim rebus actiones versantur, quibus debet respondere oratio. Hæc igitur ex subiecta sunt descriptione capienda. Ac in metu quidem & confidentia, fortitudo mediocritas est. Eorum autem qui modum transeunt, qui timoris quidem vacuitate exuperat, vacat nomine (sunt autem multa vacantia nomine) qui autem confidentia impulsus, modum egreditur, audax confidénsque nominatur. At qui nimium timet, parúmque confidit, timidus dicitur. In voluptatibus autem & doloribus non omnibus quidem, sed ad corpus pertinentibus, iísque potissimũ, quæ tactu percipiuntur, minus etiam in doloribus, mo-*

dus est, temperantia: nimium, intemperantia. Qui porrò à voluptatibus nimiùm abhorreant, non admodum multi reperiuntur, vt re nomen quidem habuerint. Appellentur sanè sensus expertes & stupidi. Iam in dandis accipiendisque pecuniis mediocritas, liberalitas dicitur: quæ modum transit, prodigalitas effusióve: quæ ab eo deficit, auaritia & illiberalitas. Contrarióque modo in iis vltra modum progrediuntur, ab eóque deficiunt. Prodigus enim largiendo modum transit, & accipiendo abest ab eodem. At verò auarus in accipiendo nimius est, in dando parcus. Atque hæc quidem nunc rudi veluti proposita imagine, ac summatim exponimus, hoc ipso contenti, post disseremus subtilius. Versantur etiam in pecuniis aliæ affectiones, quarum mediocritas magnificentia nominatur. Nam inter magnificũ & liberalem hoc interest, quòd ille in magnis, hic in paruis cernitur. Nimium, ἀπειροκαλία καὶ βαναυσία nimium luxum, profusam largitionem, & ineptam profusionem vocare possumus: parum, μικροπρέπεια dicitur, sordes sordidámque parsimoniam appellare possumus: differúntque ab iis quæ sunt liberalitatis. Quid autem differant, posterius docebimus. Porrò in honore & infamia mediocritas, magnitudo animi appellatur: exuperantia, elatio animi & superbia: defectio, paruus pusillúsque animus & despicientia. Quam autem rationem liberalitatem ad magnificentiam habere docuimus, eo differentem, quòd in paruis cernatur, eandem habet ad magnitudinem animi quæ in magnis honoribus versatur, alia quæ in paruis cernitur. Licet enim, & vt decet, honorem gloriámque expetere, & nimium & parum. Qui nimia cupiditate ducitur gloriæ,

is ambitiosus: qui non satis vacuus ab honoris cupiditate & gloriæ contemptor: at qui modum tenet, vacat nomine. Atque etiam affectionibus nullum nomen impositum est, nisi quòd ambitiosi affectio vocatur ambitio. Hinc extremi de vacua regione, quæ intra fines eorum quasi media locata est, litigant & contendunt: éstque cum nos eum qui modum tenet, ambitiosum: est cùm eundum, abhorrentem ab omni honore nominemus. Atque aliàs ambitiosum laudamus, aliàs eum qui nullo honoris studio tenetur. Quod quamobrem faciamus, deinceps explicabimus. Nunc quo institueramus modo, disseramus de cæteris. Est igitur in ira exuperantia, defectio, & mediocritas. Cúmque eorum non ferè extent nomina, eum qui modu tenet, clementem, & mediocritatem clementiam, mansuetudinémque nominamus. Extremorum is qui vltra modum progreditur, iracundus, & vitium iracundia appellatur. Qui autem parum irascitur, lentus: vitium, lentitudo dicitur. Sunt etiam tres aliæ mediocritates finitimæ omnino, sed tamen inter se differunt aliquid. Nam cùm in sermonum factorúmque communione versentur, hoc tamen differunt: quòd vna in veritate, aliæ duæ in eorum iucunditate cernuntur. Atque huius quidem iucunditatis pars altera iocis tribuitur, altera rebus, quæ in vitæ humanæ consuetudine interueniũt. Quãobrem de his etiam nobis dicendum est, quò facilius in omnibus mediocritatem esse laudabilem perspiciamus, & extrema nec recta, nec laudanda, quinetiam vituperanda. Et quanquam permulta sint eorum vacantia nomine, tamen danda opera est, vt iis sicut aliis nomina imponamus, quò & res dilucidior sit, & nos facilius consentanea dica-

mus. Igitur in veritate qui modum adhibet, verax: & habitus, veritas dicitur. Simulatio si nimium se extollat, arrogantia: & qui eam habet, arrogans: sin sua nimium extenuet, ipsa affectio dissimulationis: & qui ea præditus, dissimulatoris nomine & crimine notandus. In iucunditate porrò quæ ad iocum accommodatur, qui modum quendam adhibet, is festiuus, facetus, seu vrbanus habendus est, & affectio, vrbanitas, & festiuitas: at quæ modum egreditur, scurrilitas, & in quo ipsa inest, scurra dicitur. Qui verò omnino à iocis abhorret, is agrestis & rusticus: affectio ipsa rusticitas habenda est. Quòd autem attinet ad reliquam iucunditatem, eam quæ in vita adhibetur, qui ita se iucundum præbet, vt ratio postulat, is facilis, comis, & affabilis, & mediocritas, facilitas dicitur. Qui modum egreditur, si nulla causa ductus, nimium facilis, blandus & obsequens: sin emolumenti sui causa, assentator habendus est. At qui omnino abhorret, discedítque à modo & ratione, séque tristem, iniucundum & insuauem in rebus omnibus præbet, is morosus & difficilis putandus est. Atque etiam in perturbationibus, iisque rebus omnibus, quæ in perturbationibus versantur mediocritates reperiũtur. Verecundia enim non est illa quidem virtus, attamen qui pudore afficitur, laudari solet. Nam his in rebus alius modum opponit, alius eum transit, vt pauidus, qui omni ex re pudore afficitur. Tertius, qui à modo deficit, nullâque ex re omnino pudore afficitur, impudens: qui autem modum adhibet, is pudens & verecundus dicitur. Indignatio verò mediocritas est inuidentiæ & maleuolentiæ. Cernuntur autem in iis ægritudinibus & voluptatibus omnibus quæ

ob eas res ſuſcipiuntur, quæ proximis eueniunt. Nam indignabundus dolet illorum rebus ſecundis, qui illis indigni ſunt. Inuidus hunc ſuperans, ex omnibus ægritudine afficitur. At maleuolus tantum abeſt ab eo, vt aduerſis rebus aliorum doleat, vt etiam capiat voluptatem, ſed de his quidem alius erit mihi ad dicendum locus. De iuſtitia autem quando non vno modo dicitur, poſtea diuiſione adhibita, quemadmodum mediocritates vtræque ſint, diſſeremus, itémque de virtutibus quæ rationi attributæ ſunt.

Οἱ μὲν καθόλου καινότερα) In quibuſdam codicibus legitur κενότερα, ſed hæc meo iudicio verior lectio eſt, quam etiam veteres interpretes ſecuti ſunt.

Prodigalitas effuſione.] Salluſtij eſt, prodigalitas: Cic. in Partitionib. effuſione.

Νῦν μὲν οὖν τύπῳ] τύπον Cicero initio tertij lib. Tuſc. quæſt vocat adumbratam imaginem: alibi ſæpe rudem imaginem appellat.

Cap. 8. *Cùm tres ſint affectiones, duæ vitioſæ, quarum vna ſupra modum, altera infra modum, & vna virtus in mediocritate poſita, ſunt illæ omnes inter ſe quodammodo contrariæ. Nam extremæ & mediæ affectioni ſunt, & inter ſe contrariæ, & media extremis. Quemadmodum enim ſi id quod æquale eſt, cum re minore comparetur, maius eſt: ſin cum maiore, minus: ſic medij habitus, ſi cum eo quod parum eſt, conferantur, ſuperant: ſi cum eo quod nimium eſt, deficiunt, & in perturbationibus & in actionibus. Fortis enim ſi cum ignauo conferatur, audax: ſi cum audaci viro ignauus timidúſque videatur. itémque temperans, ſi cum homine ſtupido, intemperans: ſi cum intemperante, ſtupidus videbitur. Et liberalis, cum auaro comparatus, prodigus: cum prodigo, auarus habebitur. Ideóque repellunt à ſe, ac protrudunt extremi medium, vterque ad alterum: appellántque fortem virum, audax quidem ignauum, igna-*

uus audacem. Eadémque eſt ratio cæterorum. Hæc cùm ita ſint inter ſe contraria, maior quædam extremorum inter ipſos, quàm cum medio repugnantia eſt: quando quidem longius abſunt alter ab altero, quàm vterque à medio, quemadmodum res magna à parua longius abeſt, & parua à magna, quàm vtraque ab æquali. Iam quædam extrema ad medium videntur quadam ſimilitudine accedere, vt audacia ad fortitudinem, effuſio ad liberalitatem. Extremis autem inter ipſos diſſimilitudo maxima eſt. At ea quæ plurimum differunt, aduerſa definiuntur. Ita fit, vt magis etiam inter ſe aduerſa ſint, quæ plus diſtant. Medio autem in nonnullis repugnat magis defectio, in quibuſdam exuperatio. Vt magis eſt fortitudini contraria, non audacia quidem quæ modum tranſit: ſed ignauia quæ à modo & ratione deficit. Et temperantiæ non ſtupor & ſtoliditas, cùm ſit defectio ſed intemperantia, quæ exuperantia eſt. id quod ob duas cauſas accidit: vna quæ ex rei ipſius natura ducitur. Nam quia proprius eſt atque ſimilius alterum extremum medio, idcirco non ipſum, ſed contrarium eius magis opponimus. Quæ enim plus abſunt à medio, eadem ipſi magis aduerſantur: atque hęc quidem cauſa ex rei natura ſumpta eſt, à nobis ducta eſt altera. Nam quas ad res ſumus procliuiores naturâ, eæ ſunt medio magis contrariæ: vt quia propenſiores ſumus ad voluptates naturâ, idcirco ad intemperantiam ſumus, quàm ad modeſtiam ac mediocritatem procliuiores. Quapropter ea magis contraria dicimus, ad quæ maior eſt acceſſio: ob eámque cauſam magis eſt intemperantia, quæ exuperantia eſt, contraria temperantiæ.

Quàm ad modeſtiam ac moderationem.] Obſeruandum eſt hoc loco κοσμιότητα vo-

cari, quam supra σωφροσύνην appellauit: vt autem Latinè reddidi, perspicuum est me auctore Cicerone id facere.

Cap. 9. *Satis dictum esse arbitror, virtutem moralem esse mediocritatem, quóque modo esset: ac mediocritatem quidem esse inter duo vitia, id est, nimium & parum, eámque talem esse, propterea quòd sibi quasi signum proponant, illud medium, quod in perturbationibus actionibúsque reperitur. Quocirca difficile est virtute esse præditum. Nec enim quicquam difficilius, quàm reperire in omni re medium. Vt circuli medium non cuiuslibet est, sed periti tantummodo reperire. Itémque irasci quiuis potest, largiri pecunias, sumptúsque facere, ídque facile. at verò irasci, & largiri pecuniam, cui rectum est, & quantum, quando, qua de causa, quóque modo irascendum, dandúmque est, nec cuiusuis est, nec facile. Quapropter quod rectum ac perfectum est, & rarum est & laudabile: quod & ipsum honestum est. Quare omnes qui mediocritatem inuestigant & exequirunt, primùm ab eo debent quod magis ei contrarium est, discedere: quemadmodum Calypso monebat:*

Tu procul à fumóque regas, vndísque carinam.

Extremum enim alterum grauis peccatum est, leuius alterum. Quoniam igitur modum tenere difficillimum est, secunda, vt aiunt, nauigatione minimum malum est eligendum. Quod fiet ea potissimùm ratione, quam docebamus. Videndum est etiam diligenter, quæ ad vitia simus procliuiores. Alij enim ad alia natura procliues sumus. Quod facilè ex ea voluptate & ægritudine quæ nobis accidit, intelligemus. Se autem quisque ab eo in contrariam partem debet abducere: Longè enim à delinquendo abdu-

cti veniemus ad mediocritatem. Quod quidem faciunt ij qui lingua cõtorta in rectum dirigũt. In omni autem re debemus ſedulò à rebus iucũdis, atque adeò à voluptate cauere: quippe de qua non veniamus incorrupti ad iudicandum. Quocirca quo animo ſenes illi erga Helenen affecti fuerunt, eodẽ nos eſſe debemus erga voluptatem, ad omnémque rationem illorum vox accommodanda eſt: ſic enim dimiſſa illa & abiecta minùs aberrabimus. Vt ergo rem in pauca conferam, hæc ſi faciamus, facillimè poterimus & conſequi & ſeruare mediocritatem. Arduum hoc profectò, præſertim in rebus ſingulis. Neque enim facile eſt explicare oratione, quonam modo, quibus hominibus, quibus de cauſis & quandiu ſit iraſcendum. Nos enim interdum homines eos, qui minùs ſuccenſent, quàm deceat, laudamus clementéſque appellamus: interdum iracundos, viriles dicimus. Sed qui paulùm aliquid modum vel vltra vel citra egreditur, non eſt in vitio: qui autem longius euagatur, is quoniam minimè latere poteſt, non caret reprehenſione. Sed quatenus, quantúmque ſit egrediendum, vt in reprehenſionem incurrat, non eſt facile oratione explicare, vt ne quicquam eorum quæ ſub ſenſum cadunt: in rebus verò ſingulis conſiſtunt hæc omnia, & omne de his rebus ſenſus eſt iudicium. Ergo iam hoc quidem perſpicuum eſt, medium habitum in rebus omnibus eſſe laudabilem, deflectendúmque eſſe nunc ad id quod nimium eſt, nunc ad id quod parum. Sic enim medium, & quod rectum perfectúmque ſit, nos facillimè eſſe conſecuturos.

Διόπερ δεῖ τὸ εὖ καὶ ἐπαινετὸν.] In quibuſdam codicibus legitur ὅπερ δεῖ τὸ εὖ, ſed hæc mihi verior videtur lectio.

Κατὰ τὸν δεύτερον φασὶ πλοῦν.] Secunda nauigatio non ſic accipienda eſt, vt proſperam ſignificet: ſed ſi prima nauigatione deſtituimur, vtendum eſſe ſecunda: Si velis non poſſumus, vtamur remigio.

ARISTOTELIS
Ethicorum liber III.

ARGVMENTVM.

LIBRO 2. virtutem generatim descripsit, eámque habitum & mediocritatem esse declarauit: nunc primùm exponit quædam actionum humanarum principia, maximè electionem in definitione virtutis positam, deinde fortitudinem, tum temperantiam, reliquas virtutes deinceps persecuturus. Nam ad electionem habitúsque morales, qui electione acquiruntur, plenius cognoscendos, considerandum est, quid sit sponte & inuitè agere, quid deliberatio & electio, quid sub voluntatem cadat, et an virtutes & vitia sint in nostra potestate. Sponte fieri dicitur, illud cuius causa efficiens est in agente circunstantias actionis cognoscente. Inuitè fit, quod vi & ignorantia efficitur. Deliberatio est mentis inquisitio de rebus dubiis, quas possumus agere aut non agere. Electio est appetitio eorum, quæ sunt in nostra potestate, idque antegressa deliberatione. Voluntas appetit absolutè id quod verè bonum est, ratione autem personarum id quod cuique bonum videtur: bono viro quidem reuera, malo autem specie bonum. Virtutes & vitia confirmat esse in nostra potestate, quoniam eorum actiones in nobis sitæ sunt: alioquin nec præmia bonis, nec supplicia improbis iustè decernerentur. Fortitudinis materiam statuit esse ea, quæ terrorem & fiduciam mouent, (quorum plura distinguit genera) sed magis ea, quæ terrorem adferunt et præcipuè mortem, quæ iusto bello oppetitur. Extrema, audaciam & timiditatem. Species fortitudinis non vera numero quinque: Ciuilem & eas, quæ ab experientia, ira, bona spe, & periculi ignoratione proficiscuntur. Temperantiæ materia, est voluptas præsertim ea, quæ gustatu & tactu percipitur. Cupiditatem aliæ naturales & ascititiæ, aliæ communes et priuatæ. Extrema temperantiæ sunt intemperantia, et quidam sensus stupor, in voluptatibúsque aspernandis immanitas.

Cap. 1.

SED *quoniam virtus in perturbationibus actionibúsque versatur, ac in his rebus quæ voluntate ac sponte nostra suscipiuntur, laudi & vitio locus relinquitur, in iis autem quæ nobis inuitis fiunt venie, interdum etiam misericordiæ: profecto explicanda vis est ratióque earum rerum quæ sponte, & quæ nobis inuitis fiunt, iis præsertim, qui in virtutis cognitione versantur: quæ explicatio conditoribus etiam legum, ad honores decernẽdos constituendáſq; pœnas utilis est. Sunt igitur ea præter voluntatem nobisque inuitis.*

fiunt, quæ vi fiunt, aut imprudentia. Vi autem id fit, cuius causa & principium extrinsecus eiusmodi adhibetur, ad quod nihil adiumenti adferat is qui illud facit aut patitur: vt si quo ventus impulerit, aut homines in quorum sis potestate & dominio. At vero quæ metu maiorum malorũ, aut honesti causa fiunt (velut si quis tyrãnus qui in sua potestate habeat parentes & liberos nostros, proponat turpe aliquid faciendum, hac lege, vt si faciamus, incolumes sint ac salui: sin minùs, interficientur) vtrum sponte an inuiti faciamus, magna est quæstio. Eadem est etiam ratio iactu-rarum, quæ fiunt, cùm tẽpestates oriuntur. simpliciter enim voluntate sua nemo iaciat: salutis autem suæ ac ceterorum causa, omnes qui quidẽ sana mente sint: Sunt igitur mixtæ huiusmodi actiones illæ quidem, sed voluntariis similiores Diliguntur enim tum cùm geruntur. Finis autem actionis, temporis conditioni ac rationi attribuitur: & voluntaria certè ac præter voluntatem cùm agitur, dicenda est actio. At sponte agit, quippe in quo principium positum sit cõmouendarum partium, quæ actionibus eiusmodi perficiendis quasi instrumenta adhibentur. Quarum autem rerum in quoq; sunt posita principia, eas agit & non agat, in eo situ est. Sunt igitur hæc talia voluntatis! Et tamen sunt fortasse simpliciter ac genere ipso contra voluntatem: quando-quidem nemo quicquam eorum per se expetit! Dantur autem interdum laudi hæc ipsa, cùm homines magnarum ac præstantium rerum causa turpe aliquid aut molestum perferunt: sin contra faciant, vituperantur! Quæ enim ipsa fœdissima sunt, ea rei nullius præclaræ & honestæ, aut certè mediocris causa sustinere, est in vitio. Sunt autem quædam

in quibus laudi locus nullus relinquitur, sed veniæ dantur: cùm ea quis facit quæ non sunt facienda, iis impulsus malis quæ & humanam naturam longè multúmque superant, & nemo possit sustinere. Sunt autem quædam certè ita fœda & flagitiosa, nemo vt ad ea impelli debeat: potiúsque oppetenda mors est grauissimis toleratis cruciatibus. Etenim ridicula videntur ea, quæ ad cædem maternam Alcmæona Euripidis impulerunt. Difficile autem est interdum, quid cui proponendum sit, quídque pro quo perferendum, iudicare. Difficilius etiam est stare in eo quod sit iudicatum. Ferè enim & quæ expectantur, molesta sunt: & ea ad quæ impellimur, turpia. Hinc laudem & reprehensionem, qui inducti sunt aut non inducti, consequuntur. Quæ igitur vt dicenda sunt fieri? An omnino ac simpliciter talia dicenda sunt, cùm causa extrinsecus est, & qui facit, nihil adiuuat? Quæ autem per se quidem sunt contra voluntatem, sed hoc tempore, & horum loco expetenda, eorúmque in eo qui agit principia inclusa sunt: per se illa quidem & simpliciter præter voluntatem sunt: hoc verò tempore, horúmque loco voluntaria: potiúsque accedunt ad voluntariorum naturam: quippe cùm in rebus singulis, quæ hîc voluntate geruntur, actiones factáque versantur. Quid autem cui sit anteponendum, non est facilè exponere. Multæ enim sunt rerum singularum differentiæ ac dissimilitudines. Quòd si quis iucunda quæ sunt, violenta ac necessaria dixerit, quòd cùm extra sint, vim adferant & cogant: eadem ratione violenta ei sunt futura omnia. Horum enim causa omnes omnia faciant. Et sanè qui vi coacti inuitíque faciunt quippiam, iis illud

affert moleſtiam: qui verò iucundis rebus incitati quippiam faciunt, iis voluptatem adfert quod agunt. Ridiculum eſt igitur ea accuſare quæ externa ſunt, non ſeipſum potiùs, qui à rebus eiuſmodi facilè capiatur: réſque præclaras ſibi, fœdas & turpes attribuere voluptati. Hoc igitur iam quidem apparet, vi id fieri, cuius principium cùm extrà ſit, nihil id cui vis infertur, adiuuat. Quod autem fit per imprudentiam, eſt omne quidem non voluntarium: ſed tum demum inuito fit, cùm moleſtum eſt, & cauſas adfert pœnitentiæ. Nam qui per imprudentiam fecit quidlibet: nec ſe id egiſſe moleſtè fert, non fecit ille quidem ſponte quod ignorauit: nec rurſus inuitus, cùm minus ægrè ferat. Eorum igitur qui per imprudentiam aliquid faciunt, is quidem quem facti pœnitet, inuitus quem non pœnitet, quoniam alius diuerſúſque ab illo eſt, appelletur ſanè non volens: quonam enim ab altero differt, aptius eſt habere ſuum nomen. Aliud etiam eſt per impudentiam facere, aliud imprudentem. Non enim ebrioſus & iracundus videtur, quæ facit, per imprudentiam facere, ſed per illa quæ diximus, ebrietatem & iram: nec ſciens tamen agit, ſed imprudens. Ac ignorant quidem improbi omnes quæ facienda ſunt, quæq; fugienda: iniuſtíque & omnino mali ex eo errore naſcuntur. Nec ſi quis quod vtile ſit ignoret, quod aget, dicatur ſtatim inuitus agere. Neque enim ignorantia, quæ conſilio ſuſcipitur, vt quid contra voluntatem factum dicatur, cauſa eſt, ſed improbitatis: nec rurſus rerum vniuerſarum ignoratio, quandoquidem ea culpatur: ſed rerum ſingularum in quibus, & circa quas omnis verſatur actio. In his enim locus eſt & veniæ & miſericordiæ: quoniam qui eorum aliquid

ignorat, facit inuitus. Sed non alienum eſt, quæ quótque ſint exponere. Videndum igitur, quiſnam, quídque agat quiſque, & qua in re verſetur actio: interdum etiam quo quaſi inſtrumento, cuiuſque rei cauſa, vt ſalutis: & quo tandem modo, vt remiſsè, an vehementer. Atque hæc quidem omnia nemo ignorare poſſit, modò ne ſit inſanus: ſed nec eum qui agat, vt perſpicuum eſt: nam qui ſe ignorabit ipſum? Quid autem agat, aliquis ignoret, vt cùm ſibi aiunt excidiſſe, aut ſe neſciſſe occulta & arcana eſſe, vt Æſchylus myſteria. Aut cùm vellet monſtrare emiſiſſe telum, vt ille qui catapultam: putet etiam aliquis filium hoſtem eſſe, vt Merope: & haſtam mucrone obtuſo eſſe, quæ cuſpidem habeat: & lapidem eſſe pumicem: & vt interficiat qui ſalutis cauſa ferit: & qui docere velit, verberet, vt faciunt ij qui extremis manibus dimicant. Cùm igitur in his omnibus ignoratio verſetur, in quibus actio: qui eorum aliquid ignorabit, feciſſe videbitur inuitus, & maximè ſi eorum ignarus erit quæ principatum obtinent. Principatũ autem tenent, finis, & in quibus cernitur actio. Et quanquam id quod proficiſcitur ex illa ignoratione & imprudentia, inuitis nobis fieri dicatur, tamen debet eſſe præterea moleſta actio, & pœnitentiæ plena. Quoniam igitur nobis inuitis fiat, quod vi fit, & quod imprudentia: ſponte fieri dicetur, id cuius in ſe principium continet is, qui ſcit res ſingulas, in quibus actio conſiſtit. Profectò enim non rectè dicuntur ab inuitis fieri ea quæ vel ira fiunt, vel cupiditate. Primùm enim nullum aliud animal, neque puer ſponte faciet. Deinde quæro, vtrum nihil eorum omnino quæ ira vel cupiditate impulſi facimus, ſponte ac volũtate noſtra facimus? an

vero honesta quæ sunt, volũtate: quæ turpia, inuiti? an nõ id ridiculum sit, cùm præsertim vna sit eorum causa? Absurdum verò sit fieri ab inuitis dicere ea, quæ appetere decet. Atqui decet, & irasci quibusdam in rebus, & nonnullarum duci cupiditate, vt bonæ valetudinis atque disciplinæ. Satis etiam constat, ea molestiam afferre omnia quæ inuiti facimus, quæ verò cupiditate ducti agimus, oblectationem habent. Jam verò in quo tandem erit discrimen, vt non eadem ratione dicantur præter voluntatem ea in quibus ratione & animi iudicio, quàm ea in quibus per iram peccatur? Vtraque enim fugienda sunt: nec minùs videntur esse hominis propriæ, quæ sine ratione sunt, perturbationes: suntque actiones hominis quæ vel ab ira, vel à cupiditate proficiscuntur. Atqui illas absurdum est in iis quæ nobis inuitis fiunt, ponere.

Τὸ ἑκούσιον καὶ ἀκούσιον.] Egò τὰ ἑκούσια interdum voluntaria, interdum sponte suscepta appello, quia vtroque modo video Latinos auctores, imprimísque Ciceronem, loqui: τὰ ἀκούσια verò sæpius ea quæ nobis inuitis fiunt verto, nonnunquam tamen præter voluntatem aut contra voluntatem facta appello. At non voluntaria pro illo ἀκούσια non probo: sed pro illo οὐκ ἑκούσια.

Quodsi quis iucunda quæ sunt, violenta ac necessaria dixerit.) Ego codicem Argyropyli optimũ iudicaui. In quo, vt ex eius interpretatione apparet, neque καλὰ, neque λύπηρα legitur, sed tantùm ἡδέα. vt sit εἰδὲ πάντα ἡδέα φαίη βίαια εἶναι. Hæc verò aduersus Platonem scribi videntur, qui nono de Leg. malos homines fieri inuitos, videtur asserere. Illud etiam admonendum est in Græcis exemplaribus legi statim post hæc verba ἀνάγκη γὰρ, vbi legendum est ἀναγκάζει.

Iam verò in quo tandem erit descrimen.] Totus hic locus alioqui valdè obscurus à me apertè explicatus est. Alij interpretes quàm rectè, doctorum esto iudiciũ.

Expositis iis quæ & sponte, & inuiti homines faciunt, Cap. 2.
sequitur vt de προαιρέσει, id est consilio agẽdi, & facta animi iudicio agendi suscepione dicendum esse videatur. Nam & vertuti coniuncta est maximè, & mores quales sint magis, quàm ipsæ actiones, ipsa iudicare videtur. Cõsilium igitur est illud quidem voluntarium, sed tamen non

idem quod voluntarium, idque adeò quod ſponte fit, patet latius. Eius enim quod ſponte fit, & pueri ſunt & belluæ participes: conſilij non ſunt. Nec mihi quidem rectè videntur dicere ij, qui agendi conſilium vel cupiditatẽ aiunt eſſe, vel iram, vel voluntatem, vel quandam opinionem. Non enim commune eorum etiam eſt agendi conſilium, quæ ſunt expertia rationis: cupiditas & ira ſunt, & impotentes cupiditate, non agendi conſilio ducuntur ad agendum: contráque continentes conſilio, non cupiditate ac libidine. Præterea conſilio aduerſatur cupiditas, cupiditati cupiditas non repugnat. Cupiditas etiam rei iucundæ eſt, & omnis cum dolore coniuncta: conſilium nec rei iucundæ eſt, nec cum moleſtia. Multò etiam minus idem eſt quod ira, quoniam minimè videntur quæ per iram fiunt, conſultò fieri. Nec voluntas quidem, etiam ſi ad eam proximè accedere videatur. Conſilium enim & propoſitum non eſt eorum quæ fieri nequeunt: etſi quis ea ſe ſibi proponere ad augendum & conſilio ſuſcipere atque inſtituere dicat, inſanus eſſe videatur. At voluntas eorum etiam eſt, quæ fieri non poſſunt, vt immortalitatis. Et voluntas in iis etiam cernitur, quæ non ſtatuat agere qui illa vult: vt aliquis vult hiſtrionem quendam athletámque vincere. At nemo hæc talia ſibi proponere, eáque ſe animi iudicio ſuſcipere dicitur, ſed ea omnia, quæ à ſe putat poſſe adminiſtrari, quæq; ipſe agenda ſuſcipit. Iam verò finem potius ſpectat voluntas: conſilium & prima ſuſceptio ea quæ ad finem pertinent. Vt valere volumus, & conſilio adhibito ſuſcipimus ea quibus valetudinem adipiſcamur. Et beati eſſe omnes volumus, idq; ita dicimus: at ſi illud non conſilio ſuſcipere & ſtatuere, ſi

hoc nobis consilium esse dicamus, ineptè loquamur. Omnino enim in rebus iis versatur agendi consilium, quæ sunt in nostra potestate. Nec opinio igitur esse possit, quoniam in rebus omnibus cernitur opinio: nec minus æternis, & quę fieri non possunt, quàm iis quæ in nobis sitæ sunt. Præterea falso ac vero diuiditur opinio, non malo & bono, in quibus agendi consilium potius cernitur. Non igitur idem est quod opinio omnino, nec id fortè quisquã asserit. Nec verò idẽ est quod quædã opinio. Et bonorum enim vel malorum proposito ac susceptione tales, hoc est boni, vel mali dicimur, ex opinione non dicitur. Et consilium capimus vel assequendi quippiam vel declinandi, & si qua sunt eius generis. At quid quicque sit, quamq; ad rem conducat, opinamur: assequendum autem aliquid, vt vitandum, non admodum opinamur. Præterea consilium laudatur, quòd sit eius quod potius agere oporteat, vel quod rectè statutũ sit: at opinio quod sit, verè iudicatum. Atque ea diligimus ac suscipimus, quæ scimus optima: ea opinamur, quæ non certò scimus. Nec iidem videntur suscipere & opinari quæ sunt optima: sed nonnulli sunt qui optimè sentiant, per malitiam tamẽ & improbitatem, quæ mala sunt, sequũtur. Nec verò, quòd antecedat opinio agendi consilium, aut consequatur, quicquam interest: non enim id agimus, sed vtrum sit idem quod aliqua opinio. Quid igitur, aut quale est agendi consilium, quandoquidem in nullo est superiorum? ac illud quidem apparet ex genere voluntariorum esse, nec tamen quicquid voluntarium est, id omne etiam deligendum & consilio suscipiendum, sed cùm aut antegressa est deliberatio. Nam cum ratione & mentis iudicio coniun-

ctum omne agendi consilium est, id quod etiam nomen significat προαιρετὸν, *quasi* πρὸ ἑτέρων αἱρετὸν.

Cupiditas etiam rei iucundæ est, & omnis cum dolore coniuncta.] Petri Victorij restitutionem huius loci, & probaui, & secutus sum.

Et si quis ea se sibi proponere ad agendum, &c.] Verbum προαιρεῖσθαι, multis modis à me latinè redditur, interdum animũ inducere, interdũ statuere, interdũ consilium capere, interdum illis verbis quibus hoc loco. Idque eo libentiùs facio, quòd non videtur aptè vnum latinum pro vno græco semper retineri posse.

Cap. 3. *Sed illud hoc loco quærendum est, vtrum in deliberationem cadant omnia: an de quibusdam nulla sit deliberatio. Cui quæstioni sanè respondendum est, cadere in deliberationem, non ea de quibus stultus aliquis vel insanus deliberet, sed de quibus solent ij qui sana mente sint. Sed de rebus æternis nemo consultat, vt de mundo, & de eo, quod diameter cum latere non est comparabilis: nec de iis quidẽ, quæ sunt ipsa quidem in motu, sed semper eodem modo eueniunt, siue necessitate, siue natura, aut alia aliqua causa, cuiusmodi sunt solis conuersiones & ortus. Eodem modo de iis iudicandum est, quæ aliàs aliter eueniũt, in quo sunt genere siccitates & imbres. Nec verò ea in deliberationem cadunt, quæ casibus fortunæ subiecta sunt, qualis est thesauri inuentio. At ne res quidem omnes, quæ naturam attingunt humanam cadunt in deliberationem. Neque enim quemadmodum optimè Remp. Scythæ administrare possint, Lacedæmonij deliberant: nihil enim eorum per nos fieri potest. At de iis delibeamus, quæ vt gerantur, sunt in nostra potestate, quoniam illa sola reliqua sunt. Nam præter istas causas, naturam, necessitatem, fortunam, nulla est, alia causa præter mentem & alios affectus, quibus ad agendum homines impelluntur. Singuli autem homines de his*

deliberant, quæ ipsi efficere possint. Nec verò de scientiis iis quæ certæ subtilésque sunt, & seipsæ contentæ, deliberatio est, vt de literis quonam modo scribendæ sint, non est contentio. Sed quæ à nobis effici possunt, non autem semper eodem modo, ea demum cadunt in deliberationem: vt ea quæ medicina, quærendæ pecuniæ facultas, & gubernatoris ars tractant potiùs, quàm quæ gymnasticæ, quo minus certæ & exquisitæ sunt. Similis est ratio cæterarum. Sæpius etiam in deliberationem cadunt ea quæ ab artibus, quàm quæ à scientiis proficiscuntur: propterea quòd magis ea veniunt nobis in dubium. Consilij autem capiendi deliberatio partim in iis rebus cernitur, quæ plerunque eueniunt, cùm incertum sit, quam in partem inclinare ac euenire debent: partim in iis quæ vtrinque incerta sunt. Ad res autem magnas eligendas, alios hominēs in consilium adhibemus, nobis ipsi diffisi, quasi minùs ad statuendū simus idonei. Deliberamus autem, non de finibus, sed de iis quæ ad fines pertinēt. Neque enim aut medicus an sanabit, consultat: aut orator, an persuadebit: vel ciuilis officij peritus, an legibus bene institutam ciuitatem faciet: vel alij artifices de fine deliberant: sed omnes proposito sibi fine aliquo quemadmodum, & quibus rebus eum assequantur, inquirunt. Quod si compluribus ad eum rationibus perueniri posse constet, eum quà facillimè & optimè possit, inuestigant. Sin vna via perfici queat, quēadmodum per hanc assequantur, considerant: ad illámque rursus, per quam perueniunt, idque eo vsque persequuntur, dum ad primam causam ventum sit, quæ in inueniendo postrema est. Nam qui deliberat de re aliqua, is inquirere ac retexere eodem modo solet, quo Geo-

metræ in ſuis demonſtrationibus conficiendis. Illud autem apparet, non omnem inquiſitionem eſſe deliberationem, cuiuſmodi ſunt mathematicorum inquiſitiones : deliberationem verò omnem eſſe perueſtigationem & inquiſitionem. Etiam illud apparet, quod in analyſi poſtremum eſt, id primum eſſe in rei ortu. Quòd ſi tale aliquid inciderit, quod fieri nequeat, veluti ſi pecuniis ſit opus, nec poſſint alicunde ſuppetere, tum rem aggredi deſinunt: ſin autem fieri poſſe conſtiterit, tum omnes neruos intendunt, vt efficiant. Atqui ea fieri poſſunt, quæ à nobis poſſunt effici. Nam quæ amicorum opera fiunt, per nos fiunt quodāmodo: quia principium in nobis ſitum eſt. Quæruntur autem aliàs inſtrumenta, aliàs vſus eorum, itémque in reliquis: interdum qua tandem re, aut quibus, aliquando qua ratione res effici queat. Atque homo videtur, quemadmodum dixi, principium eſſe actionum : deliberatio autem in iis verſari, quæ ab eo agi poſſunt. At actiones aliorum cauſa ſunt, alióque referuntur. Nunquam igitur cadet in deliberationem finis, in ea duntaxat quæ ad fines pertinent, atque conducunt: nec res ſingulæ quidem, vt ſitne hoc panis, & vtrum vt oportet, piſtus aut factus ſit, nécne: quoniam hæc cadūt ſub ſenſum omnia : de quibus ſi ſemper deliberandum eſſet, res ad exitum perduci non poſſet. Quod autem in deliberationem cadit, & quo conſilio ſuſcipitur, eadem ſunt: niſi quòd iam ſtatutum ac definitum eſt, id quod conſilio ſuſcipitur. Quod enim conſultando ſtatutum iudicatúmq; eſt, id demum conſilio ſuſcipi dicitur. Tum enim quiſque deſinit, quemadmodum quicque gerat exquirere, cùm principium ad ſe retulerit, atque adeò ad eam ſui partem, quæ

tenet principatum: hæc enim pars est, quæ consilium capit. Quod ex veteribus etiam rebus publicis, quas Homerus imitatus est, potest perspici. Quæ enim reges statuissent, populo renunciabant. Quoniam autem id προαιρετὸν, id est consilio susceptum est, quod par diliberationem expetendum esse constitutum est; in iis quæ in nostra sunt potestate: profectò πρόαιρεσις, id est, agendi consilium sit necesse est: appetitio ecrum quæ in nostra sunt potestate, cùm antegressa est deliberatio. Iudicio enim ad deliberationem, quæ antecessit, abhibito, tum sequi consilium cupimus: atque agendi quidem consilium quid sit, quibúsque in rebus versetur, & quod eorum sit, quæ ad fines spectãt, expressa velut primis lineis forma dictum est.

καὶ πᾶν τὸ δι' ἀνθρώπου] Totum hunc locum ex mea interpretatione facilè est intelligere, qui alioqui ἀπλικωμὸν valdè obscurus est.

Voluptatem autem finis ipsius esse diximus: sed aliis eius esse quod verè bonum sit: aliis eius quod bonum videatur. Atqui consequens est, vt qui quod sub voluntatem cadit, verè bonum esse dicant, etiam fateantur non cadere sub voluntatem id, quod is velit, qui minus rectè eligit. Si enim voluntate appetatur, bonum etiam sit necesse est. At erat fortasse malum. Qui autem aiunt, quod sub voluntatem cadit, esse id quod bonũ videatur, eos necesse est fateri nihil esse voluntati subiectum naturâ, sed id demum quod cuique visum sit. Atqui aliud alij, & si ita res ferat, etiam contraria videntur. Quæ si minus probantur, hoc certè confitendum est, simpliciter ac reuera id quod bonum sit, sub voluntatem cadere: quod verò ad hos vel illos attinet, quod cuique videatur. Ac viro quidẽ bono id bonum Cap. 4.

quod verè bonum est: improbo quod occurrit, videatur. Vt corporibus probè affectis, salubria sunt ea quæ reuera sunt eiusmodi: quæ autem in morbis sunt, alia: itémque & amara, & dulcia, & calida, & grauia, & cætera omnia. Nam & verè de omnibus vir bonus iudicat, & rectè quid in re quaque veri sit perspicit. Propria est enim sua cuiusque habitus & honestas, & voluptas, excellítque vir bonus plurimum in perspiciendo, quid in quaque re veri sit, quasi rerum omnium mensura & norma. At verò multitudo à voluptate decipitur. Nam cùm bona non sit, tamen esse videtur. Itaque plerique voluptatem sequuntur, vt bonum: dolorem fugiunt, vt malum.

Cap. 5. Quoniam autem quod sub voluntatem cadit, finis est: quæ verò in deliberationem cadunt, & quæ consilio adhibito suscipiuntur, ea in iis cernuntur quæ ad finem ferunt: efficitur, vt actiones quæ in illis versantur, omnes consilio suscipientur, omnésque sint voluntariæ. Atqui in illis ipsis versantur virtutis actiones. Virtus igitur ipsa, itémque vitium in nostra sunt potestate. Quas enim res in nobis situm est vt agamus, eas etiam in nobis situm est, vt ne agamus: quásque res in nobis situm est, vt non agamus, easdem vt agamus, in nostra est potestate. Itaque si in nobis est agere quippiã, cùm id honestum sit, & non agere erit in nobis, cùm id turpe sit. Et si in nobis situm est, non agere quippiã, cùm id non agere sit honestum, erit quoque in nobis situm id agere, cùm turpe sit. Quod si in nobis situm est, vt honesta quæ sunt, & turpia faciamus, eodémque modo vt ne agamus: hoc autem est bonos & malos esse: certè probi, improbive simus, est in nobis. At verò dicere sponte impro-

bus, aut fœlix inuitus nemo fit: illud falsum, hoc verum videtur. Nam & nemo est beatus inuitus, & improbitas spontanea est. Alioqui ea quæ a nobis nunc dicta sunt, in controuersiam vocare oportebit: negandúsque homo erit, auctor esse & procreator actionum, quasi liberorum. Quæ si perspicua sunt, neque ea possumus ad alia referre principia, nisi ad ea quę in nobis sita sunt: hoc certè confitendum est: quarum verum in nobis sita sunt principia, eas in nostra esse potestate, nostræque esse voluntatis. Testes huius rei sunt, & priuatim singuli, & publicè legislatores, qui sumunt supplicium de iis omnibus qui flagitia admittunt, nec vi, nec per ignorationem, cuius ipsi sibi auctores non sint: honores autem decernunt iis qui præclara facinora faciunt, vt illos deterreant, hos adhortentur. Atqui nemo quenquam ad ea gerenda hortatur, quæ nec sunt in nostra potestate, nec sunt nostræ voluntatis: vt nihil attinet inducere aliquam, vt ne caleat, vel doleat, vel esuriat, aut aliud quiduis eiusdem generis patiatur, quia nihilominus ea perferet. Etenim ignorationis causa in eo vindicatur, qui sua culpa nescierit: vt in vinolentos duplex pœna constituta est: propterea quòd principium in eis situm sit. Est enim in eis situm, vt ne vino obruantur: quod quidē causa est ignorationis. Quinetiam eos puniunt qui aliquid ignorant eorum quæ legibus continentur, quæ ipsa & cognosci debent, nec sunt difficilia: itémque in cæteris, si qui negligentia impediti aliquid videntur ignorare, quod in eis situm erat, vt ne ignorarent: quandoquidem in eorum erat potestate, vt darent operā. Sed aliqui fortè iam tales sunt, vt vllum dent in eo operam: verùm ipsi sibi auctores

sunt vt tales fierent, dum mollius viuunt, & dissolutius, itémque vt iniusti & intẽperantes essent: illi, dum fraude & dolo agunt: hi, dum degũt vitam in compotationibus, aliísque generis eiusdem. Nam quæ in quaque re opera ponitur, tales homines efficit. Quòd ex iis facilè perspici potest, qui ad quoduis certamen, vel officium & actionem se comparant: semper enim & absque intermissione id agunt. Hoc ergo ignorare, ex collocata in re quaque opera, gigni habitus, hominis est ab omni sensu procul abhorrentis. hoc etiam alienum absurdúmque sit, eum qui iniustè agere soleat, nolle iniustum effici, & qui intemperate viuat intemperantem. Atqui si quis non imprudens gerit ea, ex quibus iniustus necessariò fiet, profectò sponte sua efficitur iniustus. Nec tamen si velit quidem, cohibere se possit vt iniustus esse desinat: fiátque iustus: quoniam ne ægrotus quidem bene valere potest cùm [illegible] etiam si ita acciderit, vt sponte ac voluntate sua negligeret: quia & intemperanter viueret, nec medicis crederet. At tum illi quidem licebat morbum declinare: at posteaquam se præcipitauerit, & proiecerit in morbum, iam non licet. Vt is qui lapidem iaculatus est, non potest iam reuocare, nec sustinere iactum, quanquã esset antea in eius potestate, ne iacularetur, cum in ipso situm esset principium: sic iniustis ac intemperantibus initio ab his vitiis declinare licet: ideóque tales sua sponte existunt. at posteaquam eiusmodi extiterunt, iam non licet. Nec verò animi solùm, sed in nonnullis, corporis etiam vitia sunt voluntaria: quæ etiam in reprehensionem incurrunt. Nam quæ a natura tributæ sunt deformitates, iam nemo vituperat: at quæ nimio ocio & negligentia su-

ſcipiuntur, omnes dantur vitio. Eadẽ eſt infirmitatis ratio, & debilitationis membrorum. Nemo enim cæcitatẽ ei qui à natura priuatus eſt oculis, aut morbo, aut vulnere, vt probrum obijcit, ſed miſericordia potiùs cõmouetur: cui autem ex vinolẽtia aut alia intẽperantia hoc euenerit, is culpatur ab omnibus. Quæ ergo vitia corporis in noſtra ſunt poteſtate, culpantur: quæ non ſunt, non item. Quod ſi ita eſt, in cæteris etiã omnibus quæ crimini dantur vitia, ea in noſtra ſint poteſtate, neceſſe eſt. Quòd ſi quis dixerit, omnes expetere ea, quæ bona eſſe videantur: ſed illam viſionem non in eorum eſſe poteſtate: ſed qualis quiſque ſit, ei talem finem videri: huic reſpondeo, ſi ſibi quiſque gignendi habitus cauſa eſt quodammodo, profectò & viſionis hoc eſt, cur ei ſic videatur eandem ſibi cauſam eſſe. Sin nemo ſibi cauſa eſt, praua quæ ſunt, & flagitioſa agendi: ſed ignarus finis ea agit, exiſtimans ita ſe ſummum bonum aſſecuturum: finíſque appetitio non eſt illa quidem planè noſtri conſilij, ſed ita facti omnes inſtitutíque eſſe debent à natura, vt quaſi aſpectum quandam habeant, quo verè iudicabunt, atque id quod verè bonum eſt, ſequentur. Atque is demum bene natus & bene animo inſtitutus, cui hoc præclarum munus à natura eſt datum (eſt enim hoc & maximum & præſtantiſſimum), quódque nemo nec accipere ab alio poſſit, nec diſcere: ſed qualecunque à natura cuique tribuitur, tale obtinebit. Cuius ſi ſumma & excellens quædam à natura conceſſa ſit facultas, ea demum perfecta veráque ſit indoles neceſſe eſt.) Si hæc, inquam, vera ſunt, cur virtus potiùs, quàm vitium voluntatis erit? cùm præſertim vtriſque bonis & malis finis eodem modo, vel natura,

vel quomodocunque videatur atque obiiciatur: cætera verò eò omnia referant, itaque agant quomodocunque. Siue igitur finis non naturâ qualiscunque cuique videtur, sed aliquid etiam est in ipso: siue finis naturalis est, ob eámque causam virtus voluntaria, quòd vir bonus voluntate ac sponte reliqua gerat: profectò vitium nihilominus futurum est voluntarium. Improbis enim eadem ratione inest, & in actionibus & in fine, facultas per se ipsum & auctore se agendi. Quòd si ex eo virtutes voluntatis sunt, vt dicitur, quòd causas adiuuamus habituum: quódque quales sumus, talem etiam finem ponimus: profectò vitia quoque nostra voluntate necesse est suscipi. Eadem enim ratio est. Ac ea quidem, quæ communia erant virtutum omnium, explicauimus. Nam & quod earum esset genus, adumbrauimus, nempe mediocritates eas esse & habitus: tum à quibus gignantur, easdémque eorum à quibus nascantur esse effectrices, ídque per se: eas etiam in nostra esse potestate tradidimus, iudicióque nostro ac voluntate suscipi, atque ita, vt recta ratio præscripserit. Nec verò sunt actiones voluntariæ & habitus eodem modo. Nam à principio ad finem in nobis sitæ sunt actiones, si modò rerum singularum sit in nobis cognitio: habitum verò solùm ab initio. Rerum verò singularum minùs est nota accessio, vt in ægrotationibus contingit. Sed quoniam sic secúsve iis vtamur, in nobis erat, idcirco dicuntur esse voluntatis. De singulis autem nunc velut ab initio quæ sint, quibúsve in rebus, & quemadmodum versentur, disseremus. Nam vna eadémque opera, quot sint, facilè intelligetur.

Virtus igitur ipsa.) Ἐ φ' ἡμῖν δὴ καὶ ἡ ἀρετή. Sic legendum est, non vt alij legunt

ſi, vtſit concluſio ex ſuperioribus ducta.

Sponte improbus aut felix.) Ex Iambico ſenario Græco nos fecimus Latinum ſenarium.

Εὐφυία.) Ea eſt quæ latinè appellatur bona indoles, quemadmodum reddidimus, vt ἐυφυὴς ſit is qui bona eſt indole.

Ἀλλάπ ηϕὶ πὰρ αὐτὸ ὄϕιν.] Cum Argyropylo legendum eſt πὰϱ αὐ τῷ.

Cap. 6.

Ac primùm de fortitudine, quem modum confidentiæ ac fortitudini adhibere antea diximus: planum enim id factum eſt. Timemus autem ea ſcilicet omnia quæ pertimeſcenda ac formidanda ſunt: quæ eadem (vt ſemel dicam) mala ſunt. Itaque metum definiunt, mali expectationem. Ea igitur metuimus omnia quæ mala ſunt, vt dedecus, vt paupertatem, vt morbum, amicorum penuriam, mortem: ſed tamen non in his omnibus fortis cernitur. Sunt enim quædam pertimeſcenda, idque præclarum eſt, quæ eadem turpe ſit non timere, dedecus. Nam qui id metuet, is probus & pudens: qui non extimeſcat, impudens iudicandus eſt. Quanquam his nonnullis fortis nominatur, per metaphoram, quoniam ſimile quiddam cum forti habeat: eſt enim etiam fortis interritus quidã. Nec fortaſſe paupertas eſt pertimeſcenda: nec morbus, nec omnino quicquam in quo nulla culpa noſtra, & quæ præſtare non poſſumus. Nec ſi quis in his ſe interritum præſtiterit, is continuò fortis habendus eſt. Quanquam eum etiam ſimilitudine quadam fortem dicimus. Sunt enim qui in periculis bellicis ignaui ſunt ac timidi: iidem liberales, & ad iacturam pecuniarum faciendam paratiſſimi. Nec ſi quis contumeliam liberis & vxori timeat, vel inuidiam, aut ſi quid eſt eiuſdem generis, ignauus ac timidus putandus eſt: nec fortis is, qui fidenti ſit animo tum, cùm flagris cæſum iri ſe videat. Quibus ergo in rebus metuendis fortis cernitur? an in maximis?

neque enim viro forti quisquam maiore æquioréque animo terribilia perferre potest. Omnium autem rerum nihil morte terribilius, nihil acerbius: vt quæ omnium rerum sit extremum, & vltrà iam nullo in malo aut bono videantur esse mortui. Nec verò in omni genere mortis vir fortis cernitur, vt si cui in mari sit mors oppetenda, vel morbo. Quo ergo in genere? an non in pulcherrimo? qualis est ea quæ in bello euenit: quippe quæ in maximo pulcherrimóque periculo oppetatur. Hoc indicant honores, qui & in Rebus publicis & apud reges decerni solent. Quocirca propriè ac verè fortis videtur is, qui morte honesta proposita, iisque omnibus quæ mortem adferunt, cùm appropinquant, & proximè impendent, metu vacat: cuiusmodi sunt maximè quæ in bello versantur. Attamen & in mari, & in morbis vir fortis vacuus est ille quidem à metu, sed non more nautarum. Fortes enim & de salute sua desperant, & genus hoc mortis acerbè ferunt: illos bona spe sustineri, confidentíque animo esse docuit vsus & experientia. Sunt etiam forti magnóque animo, cùm aut viribus locus est, aut pulchrum exire de vita: quorum neutrum in his generibus interitus contingit.

Cap. 7. *Nec verò eadem sunt formidolosa omnibus, éstque aliquid quod supra hominis vires esse dicitur, quod omnes profectò qui sana sint mente, pertimescent. Quæ autem humanas vires non excedunt, ea magnitudine differunt: aliáque grauiora sunt, alia leuiora: similitérque omnia quæ præbent animis nostris fiduciam. Vir autem fortis terrore vacat, quantum hominis natura patitur: illa igitur vt decet, pertimescet, vtque ratio postulabit, perferet: ídque*

honestatis causa, quoniam is est virtuti propositus finis. Fieri autem potest, vt hæc quis & nimium & parum metuat: præterea vt quæ non sunt pertimescenda, perinde quasi talia sint reformidet. Hinc peccata nascuntur: aliud, quòd timeatur id quod timendum non est: aliud, quòd non timeatur, quemadmodum timendum est: aliud, quòd non metuatur aliquid tum, cùm metui debet: & si qua sunt generis eiusdem. Eadémque est ratio in iis omnibus quæ animum nobis fiduciámque præbent. Qui ergo quæ, cuiúsque rei causa, & quemadmodum decet, perfert, extimescítque omnia, quíque eodem modo est in confidendo affectus, is fortis habendus est: pro rerum enim dignitate, & quando rectum est, & vt ratio præcipit, vir fortis & patitur & agit omnia. Omnis autem actionis & officij finis est id, quod cum ipso animi habitu coniunctum est. At forti viro fortitudo honesta videtur. Est igitur ei finis propositus eiusmodi. Etenim fine res quæque definitur. Honestatis verò causa magno fortíque animo vir fert, facítque ea quæ subiecta sunt fortitudini. Ex iis verò qui modum transeunt, qui vacuitate quadam metus exuperat, vacat nomine. Esse autem multos qui nomine vacarent, suprà diximus. Quòd si nomen fingere placet, appelletur sanè insanus vel stolidus, si modo nihil metuat, neque motũ terræ, neque maris tempestates, quales aiunt esse Celtas. Qui autem nimis confidit iis in rebus, quæ terrorem afferunt, audax nominatur. Qui etiam arrogans videtur esse, sibíque fortitudinem vendicare. Itaque quo ille animo in rebus formidolosis est, eodem hic cupit videri: quocirca quibuscunque rebus potest, eum imitatur. Ita fit, vt plerique

eorum ita audaces sint, vt etiam ignaui simul sint, δειλοὺς vno verbo Græci vocant. Cùm enim in his audaciã præ se ferant, tamen nunquam res formidolosas subeunt. At qui metuendo modum egreditur, iis ignauus timidúsque appellatur. Nam & quæ metuenda non sunt, & vt non oportet, metuit: quæque sunt eiusdem generis omnia eum consequuntur. Deficit etiam in confidendo: sed tamen modum transire & exuperare, in iis omnino quæ dolorem afferunt potiùs videtur. Desperabundus ergo est timidus omnis, quoniam omnia pertimescit: ac fortis contrà: confidere enim eius est qui spe sustentatur. Ac in iis quidem rebus omnibus timidus, audax & fortis illi quidem versantur, sed non eodem modo affecti sunt: illi enim modum transeunt, & ab eo deficiunt: at hic modum in iis tenet, atque in iis ita se gerit, vt oportet. Atque audaces quidem præcipites ac temerarij sunt, & antè cupiunt adire pericula, quàm instant: cùm adsunt, ea defugiunt. At fortes in ipsis rebus acres sunt & vehementes, antè verò quieti ac remissi. Quapropter, vt dixi, fortitudo mediocritas est earum rerum quæ hominibus vel fiduciam præbent, vel terrorem afferunt, quibus in rebus ostendimus: quæ eadem sequitur ac tolerat, quia honestum est ea & sequi & perpeti: aut certè quia turpe est contrarium. Mortem autem sibi ipsi consciscere, fugientem vel paupertatem, vel amorem, vel molestiam, fortis viri non est, sed potiùs timidi. Nam qui laborem sollicitudinémque desiderant, ea fugere mollis animi est atque effœminati. Neque verò mori sustinent, quòd id sit honestum, sed quo malum fugiant. Ac fortitudo quidem tale quippiam est.

Δίκαιον δὲ τῶν ἁμαρτῶν ἐμὲν ὄπ ἑ δεῖ.) Ita legitur in multis codicibus: sed mendose. Legendum enim est ὅπ οὗ οὐ δεῖ.

Eius autem alia quinque genera traduntur. Primum Cap. 8.
genus eius quæ ciuilis dicitur, cùm ad illam proximè accedere videatur. Excitantur enim ad subeunda pericula ciues pœnis, & probris, & honoribus, qui decreti sunt legibus: ob eámque causam apud eos fortissimi existunt maximè apud quos ignaui sunt [redacted]orij, fortes honorati: quales Homerus facit Diom[redacted] & Hectorem.

Polydamas fœdum mihi primus crimen inuret.
Et Diomedes,
Nanque feret Troas inter fortissimus Hector,
Me fugiens naues Titydes fugit ad altas.

Hæc autem simillima videtur ei, de qua supra disserui, quod à virtute nascitur, nempe à pudore & ab honestæ rei cupiditate, nempe honoris: à probri, quod est turpe, fuga. Eorum autem in numerum adscribere licet eos, qui idem hoc præstant coacti ab iis, quorum sunt in imperio & potestate. Sed sunt hi, quàm illi, deteriores, quòd non pudore, sed metu inducti id faciunt: nec turpitudinis fuga, sed molestiæ. Cogunt enim ij, penes quos est dominandi potestas, vt Hector.

Quem procul à pugna labentem fortè videbo,
Mox canibus, nec id effugiet, prædam dabit artus.

Et qui ordines ducunt, si pedem illi referant, verberant. Idem faciunt ij, qui ante fossas & alia eiusdem generis, suos ad pugnam instruunt: cogunt enim hi omnes. Atqui decet, quia honestum est, fortem esse, non vi aut necessitate. Atque etiã omnis in quaque re experientia, nomen fortitudinis vi-

detur obtinere. Itaq; fortitudinẽ ſcientiã eſſe putabat Socrates. Ac tales quidẽ ſe præſtant, alij in aliis rebus, in bellicis milites. Sunt enim pleraque belli vana & inania, quæ his maximè explorata & perſpecta ſunt. Quocirca fortes videntur eſſe, propterea quod alij quæ illa ſint, non intelligant. Deinde verò omnia facere, nihil pati omnium maximè poſſunt, idque ea qua præditi ſunt experientia: tum cauere ictus, & ferire, quia vſu armorũ valent. His denique inſtructi ſunt omnibus, quæ ad id valent, vt nocere poſſint aliis, & ipſi ſe tutos præſtare. Pugnant igitur quaſi armati cum inermibus, & quaſi athletæ cum iis qui in gymnaſio nunquam depugnarint. His enim in certaminibus nõn fortiſſimo quiſque & maximo animo maximè ad pugnandũ aptus eſt, ſed qui plurimum valet viribus, optiméque affectus corpore eſt. At verò ſtipendiarij milites tum ignaui demum timidíque exiſtunt, cùm periculum impendet, inferioréſque ſunt & copiis & apparatu. Primi enim fuga elabuntur: at vrbanæ copiæ ſtantes in acie decumbunt. Id quod apud Hermæum in oppido Bœotiæ Corona euenit. Nam & fuga turpis his erat, & mors tali ſaluti antetponenda. At illi initio quidem pugnæ periculis ſe obiiciebant, quaſi ſuperiores eſſent. At cognito periculo, fuga elapſi ſunt, quòd mortem magis, quàm dedecus pertimeſcerent. Qualis non ſolet eſſe vir fortis. Iram etiam ad fortitudinem transferunt. Fortes enim videntur ij etiã qui ira incitati, tanquam belluæ toto impetu in eos feruntur, qui vulnerarint: quoniam fortes iracundiores eſſe ſoleant. Eſt enim maximus ad ſubeunda pericula aculeus, iracundia. Hinc Homerus, Vires furor auxit: & Animũmque citauit: &, In-

gens per nares vis: &, Sanguis pectore feruet. Hæc enim omnia significare videntur concitationẽ animi ac impetũ. Ac fortes quidem honestatis causa gerunt omnia, eísque ira adiumento est. Belluæ autem dolore incitatæ, quod vel vulnus acceperint, vel ne accipiant, extimescãt: nam si sint in nemoribus & lustris, haud in quenquam impetum faciunt. Non igitur fortitudo est, dolore ac ira incitatum adire pericula, nihil eorum quæ molesta & aspera proueniunt, prouidentem. Nam isto modo quidem licet dicere fortes asinos, cùm esuriunt, quòd ne verberibus quidem deterrentur à pastu. Quinetiã adulteri cupiditate ducti multa faciunt audacius. Non igitur fortitudinis est, dolore vel ira ad pericula impelli. Videtur autem naturam attingere ea maximè quæ ab ira ducitur: quæ si consilium finémque adhibuerit, veræ fortitudinis nomen possit laudémque obtinere. Homines etiam tum, cùm ira commouentur, dolent: cùm sumunt supplicium, séque vlciscuntur, gaudent. Qui verò his excitantur, pugnaces nominantur: fortes, non item. Neque enim honestate vel ratione, sed perturbatione ducuntur. Simile quiddam in illis est, qui eò quòd bona spe sustinentur, ad subeundum periculum incitantur, nec tamen fortes habendi sunt: quippe cùm propterea in periculis audentes sint, quòd sæpe ac permultos vicerint. Sunt tamen illis persimiles, quòd vtrique sunt confidenti animo: sed tamen fortes ob eas causas quas dixi, audentes sunt: illi quia se sperant fore superiores, nihilque vicissim esse passuros. Atq; tale quippiam etiam ebrij faciunt, quòd tum maximè sunt spe rata. Quòd si excidant ea qua fouebãtur spe, tum fugiunt. At fortis erat, quæ metuenda homini &

sunt, & talia se offerunt, ea ob eam causam ferre, quia honestum sit: & non ferre, turpe videatur. Itaque viri fortis videtur esse, in subitis repentinísque terroribus, omni animi perturbatione & metu vacare potiùs, quàm in prouisis: quòd ea magis ab animi habitu proficiscantur, sintque minùs præparata. Nam quæ prouisa sunt & præmeditata, consilio etiam & ratione quiuis approbare ac sequi possit. At in repentinis virtutem ostendere, animi est suo quodam habitu confirmati. Atqui etiam fortes habentur ij qui ignoratione periculi ducuntur ad agendum: nec procul ab iis absunt qui spe ac fiducia freti faciunt quippiam: sed tamen hoc sunt deteriores, quòd in his nihil splendoris, nihil dignitatis eluceat. Qui autem falsi sunt & decepti, statim vbi rem aliam esse atque suspicati erant, intelligunt, fugiunt. Quod Argiuis euenit, qui in Lacedæmonios, quos Sicyonios putabant, inciderunt. Ac fortes quidem qui verè sint, quíque videantur, iam diximus.

καὶ οἱ προσάπτοντες.) Sensus requirit vt legatur προπάπτοντες, vt eos significet qui ordines ducunt, quemadmodum reddidi.

Itaque fortitudinem scientiam putabat esse Socrates.) Vide Platonem in Lachete & Prothagora.

Δοκεῖ γὰρ εἶναι πολλὰ κενὰ τῦ πολέμου.) Non dubium est quin legendum sit κένα, vt ad tritum prouerbium referatur, Multa in bellis inania.

At verò stipendiarij milites.) Στρατιῶται ego sic latinè reddidi, quia Arist. hic opponit copiis vrbanis στρατῦται: vnde perspicuum est auxiliarios, atque adeò stipendiarios milites, hoc verbo significari.

Οὐ δή ὅτι ἀνδρεία &c.) Totus hic locus sic restituendus est, οὐ δή ὅτι ἀνδρεία τὸ διὰ ἀλγηδόνος καὶ θυμοῦ ἐξελαυνόμενον πρὸ τὸν κίνδυνον ὁρμᾷν.

Cap. 9. *Fortitudo autem cùm in fiducia metúque versetur, non tamen æquè in ambobus, sed in rebus formidolosis magis cernitur. Nam qui his in rebus animi perturbatione vacat, quíque in eis ita est affectus animo, vt decet, is potiùs fortis est, quàm qui talem se iis in rebus præ-*

bet, quæ fiduciam adferunt. Fortes igitur ex eo, vt dixi, dicuntur, quòd ea quæ acerba & molesta sunt perferunt. Itaque cum molestia coniuncta est fortitudo: eáque iure laudatur. Difficilius est enim res acerbas, molestiæque plenas ferre, quàm se ab iis, quæ voluptatem afferunt, abstinere. Sed tamen fortitudinis finis iucundus est, etsi propter eas res, quæ vndique circunstant, obscuretur. Vt in iis ludis qui gymnici appellantur, contingit. Nam pugilibus quem sibi quisque proposuit, finis dulcis iucundúsque est, vt corona, vt honores: at plagæ & vulnera, quoniam ex carne constant, dolorem adferunt & molestiam: vt omnis etiam labor durus est ac molestus: sed quoniam hæc, quæ vndique molesta interueniunt, multa sunt, finis autem exiguus & tenuis, in eo nihil inesse voluntatis videtur. Si ergo in fortitudine tale aliquid vsueniat, mors & vulnera aspera, & odiosa forti viro, velit nolit, futura sunt. Attamen ea omnia forti magnóque animo subit, quia pulchrum est, aut certè, quia non subire turpe sit. Atqui idem quò magis virtutibus omnibus instructus ornatúsque est, quóque beatior, eó molestius mortem acerbiúsque perfert. Nam cùm is sit, qui vita diutissima sit dignissimus, sciens & prudens maximis bonis spoliatur. Quod etsi asperum molestúmque est, tamen in his fortis excelsúsque animus apparet: eóque magis, quòd illis omnibus talibus, id quod in bello cernitur, decus ipse & gloriam anteponat. Non igitur conuenit omnibus virtutibus iucundè agere, nisi quatenus finem attingunt. Nihil autem prohibet, milites esse optimos, eos qui non sint eiusmodi, sed qui & minus fortes

sint & nihil aliud boni habent. Prompti enim sunt isti ac parati ad pericula, vitámque exigua mercede commutant. Ac de fortitudine quidem hactenus. Quid autem ipsa sit, non difficile est ex iis quæ dicta sunt simpliciter, & vt rudem eius formam habeamus, cognoscere.

Cap. 10. De qua quoniam diximus, iam de temperantia disseramus. Sunt enim hæ virtutes earum partium propriæ, quæ sunt rationis expertes. At temperantiam quidem mediocritatem in voluptatibus esse iam diximus. Minus enim & non simili modo versatur in doloribus, in iis verò etiam intemperantia cernitur. Nunc quibus in voluptatibus versatur, explanemus. Distinguendæ autem sunt quæ sunt animi, ab iis quæ sunt corporis: vt sunt ambitio & discendi cupiditas. Vterque enim delectatur eò, cuius afficitur cupiditate: cùm nihil corpus, sed mens potiùs perpetiatur. Qui autem in voluptatibus eius generis occupati sunt, nec temperantes, nec intemperantes nominantur. Nec ij omnino qui alias sequuntur, quæ non ad corpus pertinent. Nam qui fabellarum cupiditate ducuntur, vel studio narrandi trahuntur, & qui in rebus minimi aut nullius momenti dies totos conterunt, eos nugatores, non intemperantes dicimus. Ne eos quidem, qui vel pecuniarum vel amicorum causa ægritudine afficiuntur. Versetur ergo necesse est in voluptatibus corporis temperantia, nec tamen in omnibus. Qui enim delectantur iis rebus quæ sub aspectum cadunt, vt colore, vt figura, & pictura, ij nec temperantes appellantur, nec intemperantes. Tametsi videatur fieri posse, vt iis quispiam delectetur, vt oportet, & nimium & parum. Idémque de iis quæ sub-

iecta sunt auditione, iudicandum. Neque enim eos quisquam, qui præter modum cantu, vel fabularum actione lætantur, intemperantes: aut eos qui modicè, moderatos appellat. Nec eos, qui iis rebus gaudent, quæ subiectæ sunt odorationi, nisi ex accidente & quadam velut consecutione. Nam qui malorum, rosarum, suffumigationúmq; capiũtur odoribus & fragrantia, eos non intemperantes appellamus, sed eos qui vnguentorum potius & opsoniorum. Ex his enim libidinosi capiunt voluptatem, propterea quòd ex ipsis redeant in memoriam cupiditatum. Cernere etiam licet alios cùm esuriunt, epularum odore capere voluptatem. At gaudere rebus eiusmodi, hominis est intemperantis: quoniam eius hæ sunt cupiditates propriæ. Nec verò his sensibus capiunt cætera animantia voluptatem, nisi aliena vi & ratione. Neque enim aut canes leporum delectantur odore, sed pastu, cuius sensum odor attulit: aut leo voce bouis, sed esu, quòd eum in propinquo esse sensit ex voce: itaq; eo ipso lætus est. Itémque nec quòd cernat, aut inuenerit ceruum, vel capram feram, eo gaudet, sed quia pastum nactus sit. Versantur igitur in voluptatibus omnibus temperantia & intemperantia, quarum reliquæ participes sunt animantes. Itaque seruiles eas belluinásque esse constat. Cuiusmodi sunt, quæ gustatu tactúque capiuntur. Ac gustatu quidem nihil aut paulùm admodum vtuntur Est enim in gustatu saporum iudicium: quod quidem ij faciunt, qui vina probant, & opsonia condiunt. Neque verò iis valde oblectantur saltem, qui intemperantes sunt, sed plena & omnimoda fruitione, quæ ex tactu percipitur, in esculentis, poculentis, iisque rebus quæ venereæ

nominantur. Itaque Philoxenus quidam Eryxidis filius, cùm epularum voluptate nimium duceretur, collum sibi dari quàm gruis longius optabat, quod ex tactu caperet voluptatem. Tactus autem ex sensibus vnus patet latissimè, in quo sita intemperantia est, quæ iure vt probrum maximè obiectatur, propterea quòd inest in nobis, non quatenus homines sumus, sed qua animalia. His igitur talibus delectari, eáque adamare belluarum est. Eas enim excipimus quæ honestæ liberalésque cùm maximæ sint, ad tactum pertinent: quales sunt quæ in gymnasiis frictione & calefactione gignuntur. Neque enim intemperantium tactus toto corpore fusus est, sed quibusdã partibus inhæret.

Itaque Philoxenus quidam Eryxidis filius.] Médum est in Græcis codicibus vbi legitur φιλόξενος Ερύξιος. legendum enim est φιλόξενος ὁ ἐρύξιος, vt apparet ex libro ad Eudemum tertio, & ex Athenæi libro primo.

Cap. 11. Cupiditatum autem aliæ communes sunt, aliæ propriæ & ascititiæ, vt cibi cupiditas naturalis est. Omnes enim cùm inanes & ieiuni sunt, cibum vel siccum, vel humidum appetunt, aliàs vtrumque. Et, vt ait Homerus, cubile optant iuuenésque viríque. At hunc vel illum cibum, non iam, nec eosdem omnes desiderant. Itaque hoc iam nostrum est, quanquam habeat quiddam naturale. Alia enim aliis delectantur: suntque res quædam quibus omnes delectentur magis, quàm quibuslibet temerè oblatis rebus. Ac in iis quidem, quæ à natura proficiscuntur, cupiditatibus, delinquitur atque peccatur à paucis: atque id vno tantùm modo, nempe in eo, quòd modus exceditur. Nam edere quæcunque adsint absque vllo ciborum delectu, aut potare dum supra modum compleare, id est extra modum in eo prodire, quod secundum naturam est. Expletio enim eius

quod deest, eius est cupiditas quæ à natura proficiscitur. Itaque homines huiusmodi appellantur γαστίμαργοι, quod ventrem plus æquo farciunt, quales existunt qui mancipiorũ sunt persimiles. At verò in propriis & priuatis voluptatibus complures peccant, atque id multifariam: nam cùm cuiuscunque generis earum cupidi ex eo dicantur, vel quòd iis gaudeant, quibus non oportet, vel plus quàm ratio postulet, aut quemadmodum plerique, vel non quemadmodum decet, vel quo dedecet: intemperantes sanè in omnibus modum transeunt. Nam & ex quibusdam rebus percipiunt voluptatem, ex quibus quoniam odio dignæ sunt, non decet percipere. Et si quibusdam ex rebus voluptas capienda est, ex iis maiorem capiunt, quàm debent, vel vt vulgus. Ex quo quidem perspici potest, intemperantiam, exuperantiam esse in voluptatibus, eóque vituperandam. In doloribus autem non dicitur quis temperans, vt in fortitudine, ex eo quòd eos perferat: nec intemperans, quòd non ferat: sed intemperans quis appellatur, quòd molestius, quàm decet, ferat, se voluptate non perfrui. Itaque ei affert dolorem voluptas. At temperans propterea, quòd nec se priuari voluptate doleat, nec abstinere. Ac intemperans omnes voluptates concupiscit, aut certè maximas: sicque earum cupiditate ducitur, eas vt rebus omnibus anteponat. Itaque & non fruendo angitur & concupiscendo. Est enim cum dolore omnis coniuncta cupiditas: tametsi absurdum videri possit, ex voluptate percipere dolorem: Qui autem parum, aut minus, quàm æquum sit, voluptate afficiantur, pauci admodum reperiuntur. Non enim in hominem cadit huiusmodi sensus vacuitas, & in voluptati-

bus aſpernandis immanitas. Etenim cætera animalia paſtum diſcernunt à paſtu, alióque delectantur, alio non item. Sed ſi quis eſt huiuſmodi, cui nihil voluptatẽ afferat, quíque nihil putet intereſſe inter aliã rem atque aliam: is profectò procul abſit à natura hominis, hominémque ex homine exuerit neceſſe eſt. Talis quoniam non admodùm reperitur, vacauit nomine. Temperans autem iis rebus omnibus modum adhibet. Nam nec delectatur iis, quibus intemperans maximè: ſed eas faſtidit, cíſque offenditur potius: nec omnino quibus ex rebus voluptas percipienda non eſt, nec vehementer vlla eiuſmodi: nec ſi abſint, dolore coficitur: nec cõcupiſcit, niſi moderatè. Quòd ſi concupiſcat, nullam magis quàm debet concupiſcit: nec quando non oportet, nec vllam omnino ardẽtiùs deſiderat eius generis voluptatem. Quæ autem ad valetudinem pertinent voluptates, vel firmam corporis conſtitutionem eas modicè, & vt decet, concupiſcit: cæteráſq; res omnes voluptatũ effectrices, quæ his non ſint impedimento, vel honeſtati non repugnent, aut facultates exhauriant. Nam qui ita animo affectus eſt, is vehementius, quàm æquum ſit, voluptates eiuſmodi adamat. At temperans talis non eſt, ſed vt recta ratio poſtulat, ita in iis ſe gerit.

Cùm inanes & ieiuni ſunt] Sic Cic. lib. tertio de Orat. ἀνάλγητοι appellat.

Μετὰ λύπης γὰρ ἡ ἐπιθυμία.] Idem valent hæc verba, quod ea quæ ſupra cap. x. dixi præclarè reſtituta eſſe à Petro Victorio, ἐπιθυμία δεῖ ἐπίλυπον.

Cap. 12. *Intẽperantia autem magis noſtræ voluntatis eſt, quàm timiditas & ignauia. Illa enim ex voluptate, hæc ex dolore naſcitur, quorũ volupas expetenda eſt, dolor fugiendus. Ac dolor quidem naturam eius in quo eſt, à ſuo ſtatu dimouet ac labefactat: voluptas nihil tale facit, ſed potius*

noſtra voluntate proficiſcitur. Itaque maiore reprehenſione digna eſt: quandoquidem facilior eſt earum rerum conſuetudo, quæ ſunt voluptatis. Nam & multa & varia eius generis in vita verſantur, & eorum conſuetudo ſine periculo omnis capitur. In rebus autem formidoloſis cõtrà contingit. Sed timiditas non ſimiliter volũtaria, ac ſingulæ timiditatis actiones, eſſe videatur: quòd illa dolore vacat: hæ doloris præſentia homines de ſtatu mentis adeò dejiciunt, vt & arma abijcere, & alia permulta contra decorum homines facere cogantur: ob eámque cauſam violentæ videntur. Contráq; intemperantis res ſingulæ volũtate ac ſponte ſuſcipiuntur: quippe qui eas appetat & concupiſcat: totum verò genus, minus. quandoquidem nemo intemperans eſſe cupit. Nomen autem τῆς ἀκολασίας, id eſt intemperantiæ, ad puerilia delicta transferimus: nec iniuria. Eſt enim inter hæc quædam ſimilitudo. Vtrum autem ab altero ductũ ſit, nihil ad id quod agimus, pertinet. Hoc ſanè planum eſt, poſterius ductum eſſe à priore. Nec malè certè facta tranſlatio eſt: κεκολᾶσθαι enim, id eſt, caſtigatione quadã adhibita, contrahi coërcerique debet id omne in nobis, quod rerum turpium ac libidinoſarum cupiditate rapitur, nimiúmq; exultat, ac luxuriat, cuiuſmodi ſunt appetitus, & puer maximè. Nam cupiditatibus ducti viuũt etiam pueri, & in iis maximè rerum voluptatem afficientium valet appetitus. Quòd minus rationi parebunt, eíq; ſubiecti erunt appetitus, longius euagabuntur: (eſt enim cùm per ſe voluptatis inſatiabilis & inexplebilis cupiditas, tũ omni ex parte in eo, qui ſit mẽte corrupta.) Etenim cupiditatis actus, eius quod cognatum eſt, vires amplificat:

ac si maiores & vehementiores existant, planè mentem è sua sede & statu dimouent: itaque modus in iis retinendus est, efficiendúmque vt nerationi repugnet. Atq; hoc ipsum est, quod obediens, castigationéque adhibita moderatum esse dicimus. Vt enim puer ex pædagogi præscriptione, sic vis hæc concupiscendi conuenienter rationi debet viuere. Quocirca debet in viro temperante rationi congruere ea pars animi, quæ cupiditatum est sedes. Vtrique enim proposita proscopo honestas est. Et appetit temperãs quę decet, omnia, & quemadmodum, & quando decet: quemadmodum enim ratio præcipit. Ac de temperantia hactenus.

ARISTOTELIS Ethicorum liber IIII.

ARGVMENTVM.

HIC liber quatuor in partes distribuitur. primùm enim agitur de virtutibus, quæ in pecuniis honoribúsque versantur, deinde de virtute, quæ iram moderatur, tum de virtutibus necessariis in quotidiana & communi hominum consuetudine, postremò de verecundia. Prima parte continentur liberalitas, magnificentia, magnitudo animi & modestia. Nam liberalitas est virtus, qua mediocritatẽ seruat in pecuniis mediocribus & paruis, sicut magnificẽtia in magnis. Illius extrema sunt prodigalitas & auaritia, huius nimia profusio, seu luxus, & sordida parsimonia. Magnitudo animi adhibet modum magnis honoribus appetendis. Modestia in mediocribus & paruis. Illius extrema sunt superbia & abiectio animi, huius est ambitio & omnis honoris contemptio. Secunda parte mansuetudo est virtus iram temperans. Extrema sunt iracundia & lentitudo. Tertia parte comprehenduntur affabilitas, veritas, vrbanitas. Affabilitas est mediocritas in sermonum factorúmque inter homines communione. Extremi sunt, alter, qui si solùm vt gratus sit, affabilem se præbet, nimium facilis & blandus: si quæstus causa id faciat, assentator appellandus est. Alter, qui omnibus in rebus est molestus ac tristis, dicitur morosus ac difficilis. Veritas est, qua verbis & factis ea sibi inesse confirmat, quæ insunt, nec maiora. Extremorum alterum est arrogantia, qua sibi res magnas & præclaras attribuit, cùm non insunt, vel maiores quàm quæ insunt. Alterum dissimulatio, qua ea quæ sibi insunt negat inesse aut extenuat. Vrbanitas, qua in iocis ac facetiis modum tenet: qui autem in his medium transit, scurra; qui deserit, agrestis & rusticus nominatur. Quarta parte, verecundia non est virtus, quia perturbationi quàm habitui similior est. Nam verecundia est veluti quidem timor infamiæ, quæ ex malis progignitur. Hæc tamen custos virtutum omnium est virtuti similis, quoniam eos iuuenes laudamus, qui pudentes sunt & verecundi: impudentes autem corripimus ac vituperamus.

DEINCEPS *de liberalitate dicamus,* Cap. 1.
quæ in pecuniis mediocritas quædam esse videtur. Laus enim liberalis, posita est non in bellicis rebus, vel iis in quibus temperãs cernitur: nec rursum in iudiciis, sed in dandis accipendíſq; pecuniis, potiúſque in dandis. Pecunias autem appellamus res omnes, quarum numerus metitur æſtimationem. Sũt autem in pecuniarum vſu duo vitia: quorũ alterum in exuperantia poſitum eſt, dicitúrq; prodigalitas & luxuria Latinis, Græcis ἀσωτία: alterum in defectione, quæ appellatur auaritia. Ac auaritiæ quidem crimen iis ſemper attribuimus, qui nimio pecuniarum ſtudio tenentur. Prodigalitatẽ autem luxuriám ve, quandoque dum aliis vitiis cõfundimus. Impotentes enim, & qui ſumpus faciunt, profundúntque pecunias in eas res quæ ſunt intemperantiæ, aſotos & prodigos dicimus. Itaque improbiſſimi videntur eſſe, quòd multis ſimul vitiis ſint flagitiíſque contaminati, Non igitur proprio nomine appellantur. Nam vt propriè dicatur aſotus, eum oportet certo quodam vitio eſſe implicatum, quod in effundentis pecuniis & conſumendo patrimonio cernitur. Ἄσωτος enim eſt, qui ſalutem ſuam negligẽs per ſe ipſe perit. Videtur autem ipſius interitus quidem eſſe, facultatum effuſio, reíque familiaris conſumptio, quòd ex iis vita ſuſtentatur. Prodigalitatem igitur hoc pacto intelligimus. Quarum autem rerum vſus aliquis eſt, is & rectè & peruerſè vti licet. Sunt autem diuitiæ in bonis vtilibus: qui verò virtute præditus eſt ea, quæ in re quaque cernitur, is optimè ſcit vti re quaque. Optimè igitur

diuitiis vtetur is, qui virtutem, quæ in pecuniarum vsu versatur, habuerit: qualis est liberalis. Vsus autem pecuniarum in sumptu & donatione consistit: in acceptione verò & custodia magis cernitur possessio. Quocirca liberalis est, dare potius quibus dandum est, quàm vnde accipiendum est, accipere: aut vnde accipiendum non est, non accipere beneficium. Virtutis enim magis propriũ est beneficium in alios conferre, quàm ab aliis accipere: & quæ sunt honesta facere, quàm turpia non facere. Dubium autem non est, quin dantem, bene mereri, & honestè agere comitetur: accipientem verò, beneficium accipere, aut certè non turpiter agere. Et gratia ac laus multò etiam magis, dantem, ac non eum qui non accipit, sequitur. Facilius etiam est, non accipere, quàm dare: suum enim quisque minus sæpe profundere solet, quàm accipere alienum. Atque etiam liberales dicuntur ij, qui largiuntur. Qui verò non accipiunt, iis non tam liberalitatis laus tribuitur, quàm iustitiæ: Qui autem accipiunt, non admodum ij laudari solent. Iam omnium, qui ob virtutem nobis chari sunt, ij ferè diliguntur maximè qui liberales sunt: prosunt enim aliis: quod in largiẽdo quidem positum est. Virtutis autem actiones præclaræ sunt, honestatísque causa geruntur: dabit ergo liberalis honestatis causa, & rectè. Largietur enim quibus, & quantum, & quando largiendum erit: cæteráque seruabit omnia, quæ rectam largitionem sequuntur: eáque faciet libenter, aut non grauatè quidem. Quod enim in virtute inest iucundum, aut non molestum, idem minimè graue est. At verò qui largitur, quibus largiendum non est, nec honesti studio, sed alia aliqua causa ductus,

hic non est habendus liberalis, sed alio aliquo nomine appellandus. Ne is quidem qui grauatè id facit: quoniam præclaris actionibus & officiis facilè pecunias anteponit: quod procul abest à liberali. Nec verò liberalis vnquam accipiet, vnde non decet: quippe cùm non sit huiusmodi acceptio eius qui pecunias contemnat, ac pro nihilo putet. Nec idem ad petendum procliuis est, quod non libenter beneficium accipiat is qui dare solet. Accipiet tamen vnde æquum erit, tanquam de suis facultatibus: non quòd honestum sit, sed quia necesse, vt ad largiendum suppetant copiæ. Nec verò sua negliget, vt qui nonnullis ex his opitulari velit. Passim autem cuiuis non largietur, vt suppetãt copiæ ad largiendum, quibus rectum erit, & quando, & vbi honestum erit. Est etiam liberalis in dando valde excellere, vt sibi minora reliqua faciat. Liberalis est enim, sibi suísque commodis minus consulere. Sed pro facultatibus omnis expetenda liberalitas est. Neque enim ex multitudine beneficiorum quæ dantur, sed ex animi habitu eius qui dat, omnis est spectanda liberalitas: habitus autem in dando rationem habet facultatum. Quamobrem nihil prohibet liberaliorem esse eum qui minora confert beneficia, si ex minoribus quæ suppetant copiis largiatur. Videntur autem liberaliores esse ij, qui non suo labore & diligentia opes pararunt, sed ab aliis partas acceperunt: neque enim experti sunt egestatis, quam sit graue malum. Et sua cuique opera chariora esse solent, vt parentibus & poëtis. Difficile est autem liberalem locupletem esse, nec accipientem aliunde, nec sua attentius custodientem. Quin etiam largientem, pecuniámque non propter se amantem,

ſed ad beneficentiam, liberalitatémque conferentem. Ita-
que accuſatur fortuna, quòd minimè locupletes ſint ij qui
ſunt digniſſimi Quod tamen non ſine ratione contingit.
Neque enim opibus, vt nec cæteris rebus abundare poſ-
ſunt, qui nullam dant operam vt conſequantur. Non
tamen dabit indignis, aut quando non erit largiendum:
eáque ſeruabit omnia, quæ ſunt generis eiuſdem. Non
enim iam faciat, quæ ſint liberalitatis. Quas in res ſi pro-
fuderit facultates, non iam poſſit in eas quas oportet ſumptu
facere. Vt ergo diximus, is demum liberalis eſt, qui pro fa-
cultatibus, atque in eas res, quas decet, profundit pecunias:
qui autem modum tranſit, prodigus dicitur. Itaque tyran-
nos non appellamus prodigos, quòd non facilè ſit eorum opes
& copias, quas maximas habent, vllis largitionibus aut
ſumptibus exhauriri. Quoniam igitur mediocritas quędam
eſt liberalitas, quæ largiendis accipiendíſque pecuniis cer-
nitur: largietur quidem liberalis, & ſumptus faciet, in quas
res debet, & quantum decebit, æquè in magnis, atque in
paruis: ídque faciet libenter, accipiétque vnde, quantúmq;
accipiendum erit. Nam quia in vtroque hæc virtus, vt
modus quidem cernitur, vtrunque pro dignitate præſta-
bit. Nam æquam largitionem talis conſequitur acceptio.
Quæ verò talis non eſt, contraria eſt. At ea quidem quæ
ſe conſequuntur, ſunt in eodem: contrariæ autem non item.
Quòd ſi præter decorum & honeſtum accidat, vt profun-
dat pecunias, ægrè feret ille quidem, ſed modicè & deco-
rè. Virtutis eſt enim & lætari & dolere, quibus rebus, &
quemadmodum decet. Iam in re nummaria liberalis faci-
lem ſe ſocium lenémque præbebit. Quoniam enim deſpicit

ac pro nihilo putat pecunias, facilè fert sibi fieri iniuriam. Idémque molestius feret se sumptus non fecisse quos debuit, quam doleat se in eas res, quas minimè decuit, pecunias effudisse: nec Simonidis sententiam probabit. At verò prodigus in his etiam omnibus offendit. Nam nec gaudet quibus, aut quemadmodum æquum est, nec offenditur: quod ex iis quæ postea dicemus facilius intelligetur. Atque hoc quidem iam diximus, prodigalitatem & auaritiam exuperantias esse ac defectiones: eásque in duobus versari, largiendis accipiendisque pecuniis: sumptus enim referimus ad largitionem. Et prodigalitas quidem largiendo & non accipiendo modum transit: accipiendo verò modum deserit. Auaritia autem largitur parum illa quidem, sed accipiendo, nisi in paruis vltra modum progreditur. Ea igitur quæ sunt prodigalitatis propria, non possunt vnà diutius consistere, accessionémque capere. Neque enim facile est eum, qui à nemine accipiat, largiri omnibus. Celeriter enim desunt ad largiendum facultates priuatis quidem hominibus, quales videntur esse prodigi. Atqui cùm prodigus sit eiusmodi, tamen videtur multò melior auaro. Facilè enim ad sanitatem traduci potest & progressu ætatis, & inopia coactus: ad mediocritatémque peruenire possit. In eo enim sunt ea omnia quæ sunt liberalis, quod & largitur, nec aliunde accipit. Sed tamen in vtroque nec decorum seruat, nec quod rectum est. Quod si facere assuescat, aut aliàs commutetur, iam erit liberalis. Nam & quibus largiendum erit, largietur: nec vnde minus æquum erit, accipiet. Quocirca non videtur deprauatis corruptisque moribus præditus. Non enim improbi est aut ingenerosi, sed

ſtulti potius, largiendo, nec accipiendo, finem mediúmque tranſire. Qui ergo ad hunc modum eſt prodigus, multò eſt auaro melior, cùm ob eas cauſas quas diximus, tum quòd hic prodeſt multis, ille nemini, nec ſibi quidem. Sed plerique prodigorum, vt diximus, à quibus non debent, accipiunt, atque in eo auari exiſtunt: parati autem ſunt ad accipiendum, propterea quòd ineſt in iis cupiditas ſumptus faciendi, neque id facilè efficere poſſunt. Cùm enim dando egere celeriter cœperint, aliunde ſuppeditare coguntur: & quia nullam honeſtatis rationem ducunt, ſine delectu vndecunque poſſunt, accipiunt. Ineſt enim cupiditas in eis largiendi: ſed quomodo, aut vnde nihil laborant. Quare largitio eiuſmodi non debet liberalis videri. Nam nec honeſta eſt, nec honeſtatis cauſa, nec vt oportet: ſed nonnunquam quos homines æquum erat omni ope deſertos vitam in ſumma inopia degere, eos potiſſimum locupletant: atque iis quidem qui bonis ſunt moribus, nihil largiuntur, aſſentatores autẽ, eóſque omnes, qui aliarum miniſtri ſunt voluptatum, magnis opibus adaugent. Ita fit, vt plerique eorum ſint intemperantes. Quoniam enim faciles ſunt ad ſumptus faciendos, ad ea ſumptuoſi fiunt quæ ſunt intemperantiæ. Et quoniam vitam ad honeſtatem non dirigunt, declinant ad voluptates. Ac prodigus quidem, niſi recta velut pædagogi inſtitutione regatur, in hæc vitia incidit. Qui ſi cura diligentiáque adhibita coërceant, facilè ad mediocritatem officiúmque perueniet. At vero auaritiæ malum inſanabile eſt. Nam ſenectus, omniſque imbecillitas auaros efficit. Eadémque magis tributa eſt à natura hominibus, quàm prodigalitas: quòd multo plures ſtudio

pecuniæ trahantur, quàm parati sint ad largiendum. Latè etiam patet, eiúsque genera sunt plura: multi enim modi auaritiæ videntur esse. Cùm enim in rebus duabus cernatur, nempe si minùs largiare, quàm oportet: etsi modum accipiendo transeas: non inest tota in omnibus, sed interdum seiungitur, aliíque extra modum accipiendo prodeunt, alij parum largiuntur. Qui enim his nominibus appellantur parci, tenaces, aridi, omnes in largiendo modum deserunt: sed alienum nec appetunt, nec volunt accipere. quorum alij id faciunt bonitate quadam, rerúmque turpium fuga (videntur enim quidam, aut certè aiunt se ob eam causam tueri ac conseruare sua, vt ne aliquando turpe aliquid facere cogantur. In his est & cumini sector, & si quis est talis qui omnes ex singulari quodam nemini vnquam largiendi excessu nominati sunt) alij autem metu ab alieno manus abstinent: quòd non sit facile, qui ab aliis accipiat, eius res ab aliis non vicissim accipi. Placet igitur his talibus, neque dare aliis quicquam, nec vicissim ab aliis accipere. Sunt verò etiam alij in accipiendo nimij, qui passim & quiduis accipiunt, quales sunt ij qui sordidas artes exercent, vt lenones, & omnes eiusmodi, vt fœneratores, & qui exigua dant, vt maiora ferant. Omnes enim hi homines, à quibus, & quantum æquum non est, accipiunt: communis autem iis omnibus, turpis, sordidúsque quæstus videtur. Nam propter quæstum, atque eum perexiguum, omnes probra & dedecora sustinent. Qui enim magna à quibus, & quæ non debent accipiunt, quales sunt tyranni, qui vrbes diruunt, fana diripiunt, ij non auari, sed sceleſti potiùs, impij & iniqui sunt haben-

di. Attamen & aleatores & fures atque latrones auari putandi sunt, quòd in turpi quæstu sunt occupati. Nam spe quæstus vtrique hæc instituta sequuntur, & probra perferunt. Atque hi quò aliquid rapiant, maximis periculis se offerunt: illi ab amicis, quæ iis suppeditari æquius est, ea lucrantur. Vtrique igitur, quoniam vnde minimè æquum est, quæstum facere instituunt, sordidi quæstus cupidi sunt censendi. Quamobrem omnes huiusmodi acceptiones illiberales sunt. Iure autem liberalitati illiberalitas aduersatur, quod maius est malum, quàm prodigalitas: sæpiúsque ea peccatur, quàm illa quam diximus effusione. Ac de liberalitate quidem & vitiis ei contrariis hactenus.

Ὅτου δεῖ λαμβάνειν οἷον ἀπὸ τῶν ἰδίων κτημάτων] Ne quis fallatur, hæc particula οἷον non significat exempli causa, sed verti debet, tanquam.

Cap. 2. Sequitur vt de magnificentia disserendum esse videatur, eo ipso quòd ea etiam virtus in pecuniis cernitur. Sed non ad omnes actiones & officia pecuniaria, quemadmodum liberalitas, sed sumptuaria modò pertinet, in quibus liberalitatem magnitudine superat. Est enim μεγαλοπρέπεια, vt nomine ipso significatur, in magnis rebus sumptus decorus. Magnitudo autem ad aliud refertur. Neq; enim idem sumptus trierarcho dignus est, & præfecto spectaculorum: in omnibúsque rebus vt decorum conseruetur, & personæ, & temporis, locí ve, & rerum ipsarum habenda ratio est. Qui autem sumptus facit in res vel paruas, vel mediocres pro dignitate, is non magnificus, vt ille qui dicebat, Sæpe dedi peregrinis: sed qui in res magnas, is demum magnificus est iudicandus. Qui enim magnificus, idem con-

tinuò liberalis: qui autem liberalis, idem non continuò magnificus est. Huius autem animi habitus defectio, sordes, & sordida parsimonia appellatur: exuperantia, luxus, & profusa ineptáque largitio, & si quæ sunt eius generis vitia, quæ extra modum non prodeunt sumptu quibus in rebus decet, sed in quibus dedecet, & qua ratione non decet, splendorem ostentant, de quibus mox disseremus. Magnificus autem scienti similis est, quoniam quid decorum sit intelligit, sumptúsque magnos aptè suggerere Nam cùm habitus omnis definiatur actionibus, initio vt dixi, iísq; omnibus in quibus versatur: magnifici autem sumptus magni sint & decori: fit etiam vt eiusmodi sint opera. Ita enim sumptus magnus futurus est, & ad rem aptus & accommodatus. itaque oportet opus sumptu dignum esse, sumptus autem opere dignos, aut etiam maiores esse. Sed hæc omnia honestatis causa (hoc enim virtutibus omnibus commune est) magnificus faciet, idq; libēter ac largiter. Nam nimium diligens subductio & exactio, sordes sectantis ac splendorem fugientis est propria. Magísque qua ratione quicque splendidissimè efficiatur, considerabit, quàm quāti, quóque modo minimo. Magnificus igitur liberalis etiā sit necesse est. Nam cùm eos liberalis sumptus suppeditat, quos & quemadmodum decet, tum in iis si quid magnum & splendidum est, id magnifici est proprium: quasi magnificentia sit magnitudo quædam liberalitatis in sumptibus faciendis. Id etiam magnifici est, quod æquo sumptu opus efficiet splendidius. Neque enim eadem virtus est, & commendatio possessionis & operis. Vt enim quæque res, quam possideas, maximi precij est, ita plurimum commendatur

vt aurum: ita vt in precij æstimatione sit possessionis commendatio: at operis commendatio est, si præclarum est atq; magnum. quoniam talis operis inspectio est mirabilis. At quod magnificu est ac splendidum, id omne mirabile: estque rei & operis splendor ac dignitas in magnitudine. Sumptus autem in hoc genere ij probantur maximè, quos honorabiles dicimus, qualia sunt quæ diis dicantur donaria, apparatus, sacrificia, similitérque ea omnia quæ in cultu & religione diuina impenduntur, & quæcunque publicè honestæ gloriæ causa exhibentur: vt sicubi ludos fieri splendidè putent oportere, aut triremis præfecti munus exequi, aut publicum epulum præbere. Sed in his omnibus videndum est, vt dixi, non modò, qualis is sit qui agat, sed quales etiam ei suppetant ad efficiendu facultates. Sunt enim ad res quæ suscipiuntur accommodandæ: nec solùm quid opus deceat, sed etiam quid eum qui sumptus facit, deceat, videndum est. Quocirca pauperum nemo possit esse magnificus, quòd ei nihil suppetat, vnde sumptus queat decorè sustinere. Quod si aggrediatur, quoniam id facit præter dignitatem, idque quod sui est officij: cùm virtutis proprium sit non discedere à recto, profectò stultus habeatur necesse est. Huiusmodi verò sumptus iis potissimum decori sunt, quibus illos sumptus facere, vel ab ipsis est receptum, vel à maioribus suis, aut alio quodam propinquitatis iure ipsos attingentibus institutum: tum verò nobilibus & claris hominibus, & si qui sunt ex hoc genere: ineſt enim in his omnibus amplitudo quædam & dignitas. Ac magnificus quidem vir est eiusmodi, in hisque talibus sumptibus magnificentia cernitur maximè. Sunt enim & maximi, & maxima digni

gloriatione. Eorũ autem qui priuatim fiunt, huc pertinent ij omnes qui semel fieri consueuerunt, vt nuptiæ, & si quid eiusmodi. Ftémque ea in quibus aut tota ciuitas studium suum potissimùm collocat, aut ij qui auctoritate & dignitate præstant & excellunt: hospitum etiam recipiendorum iura, legationes, dona, & remunerationes. Neque enim sui causa sumptus solet facere magnificus, sed Reipub. Et dona simile quidem habent iis rebus quæ diis dedicantur. Est etiam magnifici viri domum conuenienter suis opibus ædificare: nam & hæc ornamenti aliquid & dignitatis adfert. Et in eas res potius pecunias profundere, quas diutius durare oporteat: (hæ enim præclarissimæ res sunt) ita vt suum quæque decus obtineat. Non enim eadem diis hominibúsque conueniunt, nec fanis & sepulchris. Omnis etiam sumptus magnus est ex suo genere æstimandus. Atque ille quidem magnificentissimus est, qui magnus est, & in magnam aliquam rem factus. Secundo verò loco est qui in huiusmodi res aliquas, de quibus agimus, magnus erit. Interest autem inter id quod in re, & quod in sumptu magnum appellatur. Nam pila quidem aut vrceolus, si pulcherrima sint, doni puerilis splendorem & magnificentiam habent: eius autem æstimatio & precium perexiguum est, & illiberale. Ob eámque causam magnifici est, in quocunque genere quid faciat, magnificè id splendidéque gerere. Nam quod ita fit, nec facilè superari potest, & fit pro sumptus dignitate: magnificus quidem vir talis est. Qui autem modum transit, & in sumptibus insolens est, hoc ipso, vt dictùm est, modum transit, quòd profundat præter decorum pecunias. In rebus enim parui momenti magnos sum-

ptus adhibet, splendorémque ineptè ostentat, vt nuptiali apparatu eos excipiens qui symbolum dederunt, & qui comicos ludos facturus, quà sunt transituri comœdi, omnia purpura exornat, vt solent Megarenses. Atque hæc facit omnia non honestatis, sed ostentandarum diuitiarum causa, & quòd se putet admirationem cæterorum excitaturũ. Atque idem quæ res magnos sumptus desiderant, in iis parcus est: quæ exiguos, in iis profusus. Sordidus verò in omni re abest à decoro, qui cùm magnos sumptus sustinuerit, in exiguo quicquid præclarum & honestum sit, peruertit. Quod si faciat, & cunctando id efficit, & qua ratione minimo sumptu præstare possit, considerat, atque id grauatè, ac velut ingemiscens: idémque se splendidius omnia quàm oporteat, facere arbitratur. Ac sunt hi habitus vitiũ illa quidem, sed non ferè in probrum & reprehensionem incurrunt: idque fit ob eam causam maximè, quòd nec proximis noceant, nec insignem habeant deformitatem.

Quasi magnificentia sit magnitudo quædam liberalitatis in sumptibus faciendis.] Hic rursus pericula οἷον, non sic accipienda est, quasi exemplum subiiciat Arist. sed quo modo à me explicata est.

Ἐνταῦθα δὲ, τὸ ἀνάπτωσις μέγα.] Sensus huius loci postulat, vt ἐνταῦθα, non loci sed ordinis aduerbium sit. Quæ causa est vt interpretatus sim (secundo verò loco hoc cæteri interpretes parum animaduertisse videntur. Ego verò existimo legendum esse ἐνταῦθον δὲ.

Φεύγει παραπέφυκεν.] Huius loci restitutionem nos debemus Petro Victorio lib. 22. Variarum lectionum: legebatur enim in nostris codicibus παραπέφασι. Despicientia.] Sic Cic. in Partitionibus appellat.

Cap. 3. *Magnitudo autem animi magnis in rebus, vt nomen ipsum significat, cernitur. Sed primùm in quibus, nobis explicandum est. Nihil autem interest, vtrùm ipsum habitum nobis proponamus, an eũ qui eo sit præditus. Magnanimus autem esse videtur, qui res magnas illas quidem, sed*

quibus dignus sit sibi deberi iudicat. Qui enim, cùm indignus sit, de se idem hoc sentit, is stolidus habendus est. At qui eorum qui virtutis nomine commendantur, nemo stolidus, nemo amens putatur. Ac magno vir quidem animo is est quem diximus. Qui autem exiguos honores meritus est, quos sibi tribui æquum censet oportere, is non magnanimus, sed molestus & moderatus est iudicandus. Magnanimitas enim in magnitudine cernitur, quemadmodum pulchritudo in magno proceróque corpore. Breues autem homines sunt illi quidem vrbani, belli & lepidi, aptáque compositione membrorum prædíti, formosi non item. Qui verò magna præmia se meritum putat, iis cùm sit indignus, superbus dicitur. Nec verò qui maioribus se dignos existimant, quam eorum sint merita, omnes elati superbíque iudicandi sunt. At qui minora quàm habere sit dignus sibi deberi iudicat, is demisso pusillóque animo putandus est, siue magna, siue mediocria, siue exigua illius extent merita, quibus minora sibi etiam tribui putet oportere: sed potissimum, si magna eius merita videantur. Quid enim, si tantis esset indignus facturus fuisse videatur? Ergo magnanimus, summus ac extremus est ille quidem magnitudine, sed modo, rationéque medius. Nam suis se ipse meritis metitur: alij vel modum transeunt vel deserunt. Qui si magna atque adeò maxima sibi, quia dignus sit, deberi iudicat, profectò vna in re maxima eius merita cernuntur. Quid ergo tandem illud sit, ex dignitate intelligendum est. dignitas autem ad externa bona refertur, quorum maximum ponimus id, quod & diis tribuimus, & quod maximè expetunt omnes ij qui sunt in magistratu, & quod rerum gestarum, vel

præclarissimarum quasi mercedem omnes desiderant, qualis gloria est. Est enim bonorum externorum maximum, gloria. In honore igitur & dedecore magnanimus ita animo affectus est, vt ratio æquitásque postulat. Quod etiam nulla adhibita probatione facilè perspici potest. Gloria enim est, qua magni viri se esse dignissimos, ídque pro dignitate arbitrantur. At qui demisso pectore pusillóque animo est, is deficit, siue ad ipsum respicias, siue ad magnanimi dignitatem. Qui autem elato animo est, quod ad se quidem attinet, in exuperatione est: ac tum magnanimo comparatus, non exuperat. Sed quoniam maximis honoribus magnanimus dignus est, idem optimus sit necesse est. Semper enim quo quisque melior, eo maiore dignus est gloria, & optimo cuique maxima gloria debetur. Ita eum qui verè sit magnanimus, virum bonum esse necesse est. Atque etiam magnanimi proprium videatur, quod in quaque virtute magnum excellénsque ducit. Nequaquam etiam deceat magno animo virum citatis manibus fugere, aut cuiquam facere iniuriam. Nam cuius rei causa turpe aliquid faciat, cui nihil magnum esse videatur? Ac mihi quidem certè singula spectanti, omnino ridiculus magnanimus videtur, qui non idem sit bonus: qui si malus sit, ne honore quidem esse dignus potest. Est enim virtutis merces, gloria, quæ eadem bonis viris tribuitur. Quocirca videtur magnitudo animi quasi splendor quidam & ornamentum esse virtutum omnium. Nam & maiores eas splendidiorésque facit, & constare sine illis nullo modo potest, ob eámque causam difficile est verè magnanimum esse. Siquidem esse sine singulari quadam & eximia bo-

nitate nullo pacto potest. Maximè igitur magnus animus indecore & dedecore cernitur. Atque idem magnis honoribus, & qui à bonis viris tribuentur, moderatè ille quidem lætabitur, tanquam suos aut etiam minores sit consecutus (virtute enim vndique perfecta & absoluta, nullus honos satis dignus potest esse) sed tamen eos ille quidem recipiet hoc ipso, quòd nihil maius habeant, quod ei tribuant. Eos autem quos vulgus ei tribuet, & exiguos, omnino contemnet, ac pro nihilo putabit, siquidem tales meritus non est: itémque dedecus, & infamiam, quòd ei iure non possunt contingere. In primis igitur ac maximè in gloria magnanimus, vt dixi, cernitur. Attamen & in diuitiis & in potentia, & in secundis rebus & aduersis, affectus erit quàm moderatissimè fieri possit: neque prosperis rebus lætabitur nimis, neque asperis aduersisque mœrebit. Neque enim isto pacto in honore & gloria, quæ res est maxima, affectus est. Imperia enim & opes gloriæ causa expetendæ sunt. Itaque ea omnia sibi gloriæ esse volunt, qui iis sunt prædíti. Quid ergo videatur ei magnum in rebus humanis, cui etiam contemptui est gloria? Quocirca magno animo excelsóque viri, iidem superbi & contemptores videntur esse. Atque etiam secundæ res videntur multum magnitudini animi conferre. Nam & nobiles honore digni putantur, & ij qui potentia & dominatu excellunt, & opulentia, quòd excellant aliqua præstantia. Habet autem venerationem iustiorem quicquid bono excellit. Itaque maiores elatioréque animos hæc ipsa faciunt, siquidem ex iis gloriam à nonnullis consequuntur. Quanquam, si verum iudicare volumus, solis bonis honos debetur: tamen cui vtrunque adsit, is nescio quo-

BIBLIOTHÈQUE DE L'UNIVERSITÉ DE FRANCE.

modo maiorem laudem gloriam meretur. In quibus autem hæc talia bona insunt sine virtute, ij neque se ipsi iure magno honore dignos putant, nec magnanimi rectè nominantur. Neque enim hæc constare sine virtute vndiq; perfecta vllo modo possunt. Superbi verò & contumelioſi, & aliis huius generis vitiis præditi fiunt. Difficile enim est, si à virtute defeceris, ferre aptè res secundas. Quoniam autem ferre illi non possunt, & se præstare cæteris putant, eos contemnunt: ipsi quicquid libuerit, faciunt. Imitantur enim magnanimum, cùm ab eo absint, disténtque plurimum. Atque hoc quibuscunque rebus possunt, faciunt. Virtute igitur nec gerunt quicquam, & tamen contemnunt cæteros. At verò magnanimus vir iure despicit. Veritatem enim ille ad iudicandum, plerique autem magis temeritate ducuntur. Et quoniam parui facit ac negligit omnia præter admodum pauca, ideò non solet passim ac temerè periculis se offerre, nec ea optare. Magnis autem ac grauibus se obiicit, in quibus vitæ non parcit, hoc ipso quod indignum sit omni modo in vita manere. Atque is est, qui & beneficia conferat, & accepto beneficio pudore afficiatur: quòd illud eius sit qui excellat & præstet, hoc eius qui inferior sit. Idem maius beneficium reddit quàm accepit. Sic enim debitor fit, is qui prior dederat, ac beneficij acceptor ex datore redditur. De iisque commemorare solent magnanimi, de quibus bene meriti sunt, non autem de iis, qui beneficia contulerunt. Est enim inferior qui accipit eo qui dedit beneficium. At vult hic noster superior esse. Et quæ contulit beneficia libenter: quæ accepit, de iis audit grauatè. Itaque Thetis apud Iouem beneficia sua in eum non commemorat, nec

Lacedæmonij apud Athenienſes, ſed illorum erga ſe. Eſt etiam magnanimi viri, nullo omnino, aut vix egere, & opitulari vltrò: apúdque eos qui dignitate & potentia valent, proſperáque fortuna vtuntur, magnum: apud mediocres, modeſtum ſe mediocrémque gerere. Nam illis præſtare difficile eſt ac glorioſum, his, facile. intérque illos gloriari ingenuum eſt, inter humiles autem & abiectos homines, importunum: vt ſi quis cum imbecillis vires ſuas oſtentare vellet. Nec ſolet idem ad ea commemore omnia, quæ ſunt apud vulgus in honore & precio, aut vbi obtinent alij principatum. Quietus eſt etiam & cunctator, niſi aut magnus bonos agatur, aut res magna. Paucas res agit ille quidem, ſed magnas & pereelebres. Idem & apertè oderit neceſſe eſt, & apertè diligat, quòd timidi ſit tegere ac occultare ſentẽtiam: denique magis ex veritate pendet, quàm ex opinione, dicendo ac gerendo palàm omnia: ſiquidem id contemnentis eſt. Itaque liberè quæ ſentit, ſolet dicere: idque eò facit, quòd & contemptor ſit, & veritatem ſermonis amet, niſi fortè ſi quid diſſimulatione tegendum ſit: cui rei locus eſt apud multitudinem. Id etiam magnanimi eſt, non poſſe ad nutum alterius viuere, niſi amici, quòd id ſeruile exiſtimet. Itaque & omnes aſſentatores, ſeruiles: & humiles, aſſentatores eſſe ſolent. Et quoniam magnum ei nihil videtur, nihil mirabile ei videri ſolet. Non recordatur iniurias, ſiquidem magnanimi non eſt meminiſſe præſertim iniurias, ſed potiùs contemnere: nec de hominibus ſermonem habet: quandoquidem nec de ſe prædicabit, nec de cæteris. Nam nec vt laudetur ipſe laborat, nec vt alij vituperentur: nec laudat alios libenter, nec conuitiator eſt.

ne inimicorum quidem, nisi fortè propter cõtumeliam. Minimè verò de necessariis & exiguis anxius solicitúsque est. Industrij enim & laborioſi hominis est, his in rebus eam animi affectionem retinere. Atque etiam is est qui res honestas & praclaras, quamuis inutiles vtilibus ac fructuosis anteponat. Hoc enim eum potiùs decet, qui se ipse cõtentus est. Incessus etiam magnanimi viri tardus est, vox grauis, tarda oratio. Neque enim aut festinat is, qui paucis rebus studet: aut vehemens est, cui nihil magnum esse videatur: quibus de causis & acutæ voces suscipiuntur, & in ingressu celeritates. Ac magnanimus quidem huiusmodi est. Qui autem iis deest officiis, angusto pulsillóque animo dicitur: qui modum transit, elato: qui quidem mali & improbi minimè videntur esse, quoniam nihil improbè faciunt, sed errant tamen. Nam qui demisso abiectóque est animo, is quibus bonis dignus est, se ipse spoliat, & malo quodam præditus videtur, quòd se indignum bonis iudicat. Idémque se ipse ignorat: aliter enim ea omnia expeteret, quibus dignus est, cùm sint in bonis. Nec stulti quidem videntur esse, sed pigri potiùs, quæ eos deteriores facit opinio. Nam cùm ea omnes expetant, quæ meritis ipsorum debentur: tamen isti ab honestatis actionibus studiísque quasi indigni sint; itémque à bonis externis se remouent. At superbi & stulti sunt, & se ignorant ipsi, atque id apertè: nam tanquam digni sint, ea aggrediuntur quibus laus & gloria proposita est, ex quo deinde in reprehensionem incurrunt. Itémque vestitu, gestu, aliísque eiusdem generis se ornant: suáſque res secundas notas volunt esse omnibus, ac de se ipsi prædicant, quasi hæ res sint ipsi bono-

ri futuræ ac dignitati. Contraria est autem magis animi magnitudini dispicientia, quàm elatio & altitudo. Nam & sæpius vsu venit, & maius malum est. Ac animi quidem magnitudo, in magno, vt dixi, honore versatur.

Videtur autem etiam in eo quædam virtus consistere, Cap. 4.
quemadmodum suprà dictum est, quæ eandem habet rationem ad animi magnitudinem, quam ad magnificentiam liberalitas. Nam cùm vtraq; recedat à magnitudine, tum nos in rebus mediocribus paruísque rectè afficit. Vt autem in accipiendis dandísque pecuniis mediocritas reperitur, nimium & parum: sic honorem & gloriam nonnulli nimium expetunt, alij parum: quidem eam quærunt, vnde & quemadmodum quærenda est. Nam & ambitiosum vituperamus, & eum qui nulla gloria ducitur: illum, quia nimio honoris studio trahitur, & iis in rebus gloriam consectatur, quibus quærenda non est: hunc, quoniam ne ex rectè quidem factis instituit gloriam quærere. Incidunt autem nonnunquam tempora, cùm & ambitiosos, quemadmodum suprà dixi, vt virili animo præditos, & honestatis cupidos laudamus: & eos qui nullum honorem expetunt, vt moderatos & modestos. Perspicuum autem est, cùm rei alicuius multifariam quis cupidus dicatur, nos non eodem semper modo vsurpare nomen cupidi honoris, quem ambitiosum vocamus, sed interdum in laude, vt si honoris cupidior est quàm vulgus, interdũ in vituperio, vt si magis quàm oportet, cupiat. Quoniam autem mediocritas vacat nomine: idcirco extrema de ea quasi deserta regione disceptãt. Sed quibus in rebus nimiũ & parũ reperitur, in iis etiam relinquitur mediocritati locus. Atqui honorem homines & nimiũ

expetunt, & parum. Expetunt igitur vt expetendus est. Quare laudatur habitus, qui modum adhibet in expetenda gloria, etiamsi vacet nomine: hoc autem apparet, si virtus hæc cum ambitione cõperetur, fore, vt honoris contemptus nimij: sin cum honoris nimium remisso studio, ambitionis speciem præ se ferat: si autem cum vtraque, vtranque quodammodo imitari videbitur. Quod in reliquis etiam virtutibus cernitur. Sed quoniam mediocritas nomen non habet, contrarij esse hic extremi inter se videntur.

Cap. 5. *Mansuetudo autem seu clementia, mediocritas quædam iræ est. Sed quoniam medium vacat vero proprióque nomine, ac ferè etiam extrema, ad medium clementiam transferimus, quæ ad id quod parum est deflectit quod etiam nomine vacat. Exuperantia autem iracundia appelletur: ira enim ipsa perturbatio est, quæ ex multis rebus, variisque gignitur. Atque iis quidem qui quibus de rebus, quibúsque hominibus debet, irascitur, quíque id facit quemadmodum, quando & quandiu decet, is laudibus afficitur, quem eundem clementem & mansuetum appellari licet. Si quidem in laude clementia est. Nam is ferè solet πρᾶος, id est mansuetus videri, qui animi agitatione & velut turbatione careat, non à perturbatione rapiatur & distrahatur, sed vt ratio præscripserit, sic & his de causis, & tandiu succenset. Peccare autem in eam potiùs partem videtur, quæ modum deserit. Neque enim vlcisci cupit clemens, sed ignoscere. At verò defectio, siue lentitudinem, siue alio quouis nomine appellari placet, est in vitio. Qui enim minùs succenset ob eas causas, ob quas decet succensere, ij stulti videntur, & qui non quomodo, quando, quibus irascendum est. Sunt*

enim omnis sensus & doloris expertes, qui irasci nesciunt, nec propulsant iniuriam. Quinetiam contumelias & conuitia æquo animo ferre, ac in propinquis negligere, seruile est. Exuperantia verò illa quidem in omnibus existit (nam & quibus hominibus, & quibus de causis non est irascendum & irasci possumus, & vehementius aut celerius ac diutius, quàm ratio postulet) sed tamen non in eodem hæc quidem insunt omnia: neque enim possunt. Cùm enim per se omne malum labefactat, tum si integrum, & omni ex parte obsolutum sit, intolerabile existit. Ac iracundi quidem celeriter commouentur, & in quos non decet, & quibus de causis, & vehementius quàm sat sit: sed facilè ac citò etiam eorum ira desistit, quòd in illis quidem est optimum. Idque eis propterea accidit, quia iram non retinent, sed statim animum explent, eò quòd operti sunt, ob acutam illorum commotionem: hinc finem faciũt. ἀκρόχολοι autem, id est extremæ bilis homines, nimium procliues sunt, & omni re facilè concitantur ad iracundiam, & quauis de causa: vnde etiam traxere nomen. At acerbi ægrè placantur, diúque irati sunt: nam iram retinent, & cùm iniuriam vlti sunt, tum sedatur ira. Vltio enim modum finémque iræ adhibet, pro dolore voluptatem adferens. Quod si id minùs fiat, quasi onus quoddam sustinent. Quia enim hoc minùs apparet, nemo ad eos placandos se applicat ad mitigandam autem & quasi concoquendam apud se ac per se iracundiam, tempore opus est. Cùm autem hoc hominum genus sibi molestissimum est, tum amicis maximis. Infensos autem ac difficiles homines appellamus eos, qui quibus de causis minùs rectum est, irascuntur, & vehementius &

diutius quàm ratio postulare videatur: & qui non redeunt in gratiam, nisi vltio, vel animaduersio sit consecuta. Clementiæ autem repugnat magis vitium, quod modum transsit, ob eam causam quia sæpius accidat. Nam vlciscì iniuriam, magis naturam attingit humanam: & qui sunt infesto infensoque animo homines, minùs apti sunt ad vitæ communionem. Hoc autem & suprà dictum est, & ex iis quæ docemus nunc, perspici potest, non est dictu facile, quo modo, aut quibus hominibus, aut qua de causa, & quandiu deceat irasci, & quatenus quis rectè faciat, aut peccet. Qui enim paulùm aliquid modum, vel in eo quod plus est, vel in eo quod minus, excedit, vituperari non solet. Interdum enim eos laudamus, qui modum deserunt, clementésque dicimus: & iracundos virili animo esse dicimus, quasi ad imperandum idoneos. Ergo quantum quisque vel quo modo modum egressus vituperandus sit, non est facilè explicare oratione. In rebus enim singulis atque in sensu positum iudicium est. At illud quidem certè perspicuum est medium habitum esse laudabilem, quo quibus rectum est irascimur, quámque ob causam & quomodo oportet, & si alia generis eiusdem. Illæ verò affectiones quæ modum transeunt, ac deserunt, sunt omnes in vitio: ac si parum medium deserant, leuiter, si aliquanto maiore interuallo, grauius: in magno quodam insignique spacio vehementer sunt reprehendendæ. Hoc igitur perspicuum est, medium in his habitum obtinendum. Ac de his quidem animi affectionibus, quæ in ira versantur, hactenus.

Cap. 6. In consuetudine autem vitæ, sermonúmque ac factorum communione ἄρεσκοι, id est obsequentes, & nimium faciles

& blandi videntur ij, qui ad voluptatem laudant omnia, nec vlla in re aduersantur, quinetiam putant se iis quibúscum viuũt, nullo loco molestos esse oportere. Alij contrà & in omni re aduersantur, nec de cuiusquam offensione ac molestia laborant, qui difficiles, fastidiosi ac morosi vocantur. Non est quidem dubium id, quin hi, quos modò diximus, habitus sint in vitio: medius autem horum sit in laude, quo ea omnia quæ recta sunt, vtque ratio præcipiet, probabuntur, respuentúrque contraria. Nomen autem ei Græcum nõ est impositum, quanquam φιλίας, id est, amicitiæ similis párque videatur. Qui enim ea animi affectione præditus est, quæ medium locum tenet, non absimilis ei est, quem nos commodum & facilem amicum vocamus, adiuncto amãdi affectu. Hoc autem differt ab amicitia, quòd affectu, eorúmque vacat amore, quibuscum ipse versatur. Neque enim amore vel odio ductus probat, vt decet, omnia, sed quia ita animo est constitutus. Æquè enim hoc erga ignotos ac notos: erga familiares æquè, ac erga eos quorum non est implicatus consuetudine, præstabit, nisi quòd in omnibus id faciet pro dignitate: Neque enim eodem modo decet familiares atque exteros obseruare, nec rursus offendere. Atque hoc quidem generaliter dictum est, eum talem hominem in quotidiana vitæ consuetudine, se ita esse gesturum, vt ratio postulabit. Semper autem honestatis vtilitatísque rationem habens, inuestigabit inibitque rationem, qua non possit offendere, aut certè delectare possit. Nam is in iucunditatibus molestiísque cernitur, quæ ex vitæ consuetudine nascuntur. Harum autem si quæ sunt, quibus ipsi minùs honestum est, aut etiam incommodum

delectationem adferre, eas ita respuet, vt etiam malit esse molestus. Quòd si qua res sit eiusmodi, quæ turpitudinem facienti, eámque non paruam afferat, vel incommodum, sed in qua si aduersetur, sit allaturus leuem molestiam, non probabit, sed aspernabitur. Aliter autem cum iis versabitur, qui auctoritate & dignitate aliqua præditi sunt, aliter cum quolibet, magísque aut minùs notis. Itémque aliis hominum differentiis suum cuique tribuet decorum. Ac per se quidem placere volet, ac gratus esse, molestus autem esse verebitur. Semper tamen euentus, honestatem dico & vtilitatem, si plus valere debeant, spectabit, & sequetur: magnæque in posterum voluptatis causa, leuiter offendet. Ac medius quidem talis est, nec vllo appellatus est proprio Græco nomine, Latini facilem & comẽ appellant. Qui autem aliis affert delectationem, in eóque nihil aliud sequitur, nisi vt gratus sit, obsequens, blandus, nimiúmque facilis dicitur. At qui id facit, vt adiumentum ad opes adipiscendas, eáque omnia quæ pecuniis parantur, nanciscatur, is assentator est habendus. Eum verò qui molestus ac tristis est omnibus in rebus, iam difficilem ac morosum appellandum diximus. Contraria autem esse inter se videntur extrema, quod medium nomen habet.

Cap. 7. Idem ferè in rebus arrogantiæ mediocritas cernitur, quæ etiam vacat nomine. Ac de iis non erit alienum disputare. Nam faciliùs ea quæ ad mores pertinent, intelligemus, si de singulis disseruerimus: & virtutes mediocritates esse tũ maximè credemus, cùm ita esse in omnibus perspexerimus: Iã de iis qui in vitæ societate voluptatem vel molestiam spectant, diximus. Nunc de iis qui verum vel

falsum enuntiant, ac præ se ferunt, seu dictis, seu factis, & simulatione disseramus. Igitur arrogans appellatur is, qui sibi res magnas & præclaras sumit & vendicat, cùm nõ insint, vel maiora, quàm quæ insunt. Dissimulator contrà qui quæ insunt, negat inesse, aut extenuat. At verò medius vir sui semper similis verax est & vita & oratione: ea in se inesse confirmans, quæ insunt, nec maiora, nec minora. Licet autem quanque harum rerum, & rei alicuius, & nullius causa facere: qualisque est quisque, talia sunt eius & facta, & oratio, & vita, nisi rei alicuius agat gratia. Ac per se quidem omne in malo vitioque mendacium est; veritas honesta & laudabilis, Ita verax, quoniam mediũ locum obtinet, est laudabilis. Qui autem mentiuntur, utrique sunt illi quidem vituperandi, sed maiore quadam ratione arrogans. De quorum utroque ita disseremus, si prius de veraci pauca præponamus. Non enim de eo instituimus dicere, qui in pactis, rebúsque contrahendis verus est, aut in omnibus quæ ad iniustitiam iustitiámve pertinẽt (sunt enim hæc alterius virtutis) sed de eo, qui in quibus rebus nil tale postulatur & agitur, se & vita & oratione veracem præstat, hoc ipso, quod tali habitu animi præditus, quem eundem probum virum appellari licet. Nam qui veri cupiditate ducitur, quique tum verum enunciat, cùm nihil interest, is multò etiam potiùs verax futurus est cùm aliquid interest. Mendacium enim, ut turpe aliquid, vitabit, quod quidem etiam per se ipse fugiebat. Atqui talis vir laudandus est. Sed ad id potius quod minus est, ac inferius vero deflectit: id enim magis decet, quoniam quicquid modum finemque transit, nimiúmque est, id omne mo-

leſtum odioſúmque eſt. At verò qui maiora ſibi quàm quæ inſunt, vendicat & ſumit, rei nullius cauſa, eſt ille quidem improbo ſimilis (neque enim mendacio delectaretur) ſed tamen ſtulti vanique hominis potiùs, quàm mali nomen mereri videtur. Qui autem alicuius rei cauſa id facit, ſi gloriæ vel honoris, non eſt ille quidem admodum vituperandus: qualis eſt arrogans. At qui pecuniæ, vel earum rerum cauſa, quæ pecuniæ locum tenent, is multò deformior eſt. Nec verò facultate ac poteſtate arrogans, ſed agendi conſilio cernitur. Ex animi enim habitu, & quia talis ſit omnis arrogans, iudicatur, vt & mendax: qui duplex eſt; alius mendacio ipſo delectatur, alius gloriæ aut quæſtus cauſa mentitur. Atque ij quidem qui cupiditate gloriæ ſibi aliquid arrogant, ea ſibi vendicant omnia quæ vel ad laudem vel beatæ vitæ opinionem pertinent. Qui autem ſpe quæſtus ſibi aliquid arrogant, ea ſibi vendicant, quæ etiam vſu ſunt proximis, quæq; ſi minùs adſint, celare & occultare licet: velut medicum & vatem ſapiẽtem eſſe. Ob eámq; cauſam huiuſmodi artes ſibi plerique ſumunt & arrogant, quòd in eis inſunt illa quæ diximus. In diſſimulatoribus autem, cùm ſua ipſorum illi extenuant, lepidorum morum ſpecies apparet: quippe qui non videatur quæſtus cauſa dicere, ſed quòd faſtidium aliis adferre moleſtiámq; fugiant. Atque hi ea ſibi detrahunt maximè quæ ſunt glorioſa, vt Socrates faciebat. Qui autem exiguas res paruíque momẽti, quæq; perſpicuæ ſunt omnibus, diſſimulant, veteratores dicuntur, iíque facilè ac iure contemnuntur. Id quòd etiam arrogantiæ datur interdum, qualis eſt veſtitus Lacedæmoniorum. Nam & ſua extollere nimium, & valde extenua-

re quãdam ſpeciem fert arrogantiæ. At verò qui moderatè vtiũtur diſſimulatione, & in iis, quę minus ante oculos poſita patent omnibus; ij politi homines atq; vrbani vidẽtur. Sed arrogans quoniam deterior eſt, veraci videtur opponi.

Ἀυθίκαστός πς ὢν] Ἀυθίκαστος, is dicitur qui vnam velut perſonam ſemper gerit, qui de ſuo ſtatu non dimouetur: ego hominem ſemper ſui ſimilem appellaui: num rectè, iudicabunt lectores linguæ Græcæ periti.

Βωμολόχοι δοκοῦσιν εἶναι καὶ φορτικοί.] Cui dubium eſt non poſſe aptiùs verti illud φορτικοι hoc loco, quàm importuni?

Sed quoniam requieti quoque in vita loci aliquid relictum eſt, eáque aliquid iocis & hilaritati conceditur temporis, efficitur vt hîc quoque decora quædam, & apta conſuetudo, congreſſióque ea & dicendi & audiendi, quæ, & quemadmodum decet & dicere & audire vigere videatur. Magnopere etiam refert, vt perſonarum habeas, tum dicendo, tum audiendo rationem. Ex quo perſpicuum eſt, & tranſiri in iis medium, & deſeri. Atque illi quidem, qui riſu ac facetiis vltra modum prodeunt, ſcurræ ac importuni habendi ſunt, præſertim cùm omni ex parte ridiculorum affectatione ducti, dent operam potiùs vt riſum moueant, quàm vt quæ honeſta ſunt dicant, aut ne eum, in quem ſcomma iaciunt, offendant. Qui autem nec facetum quid dicunt ipſi, & tamẽ eos qui dicunt, permoleſtè ferunt, agreſtes & duri videntur. At verò qui ſalibus & facetiis modum quendam adhibent, ij εὐτράπελοι Græcis vocantur (vrbanos Latini, facetos & feſtiuos vocãt) quaſi εὔτροποι, id eſt qui faciles habent cõuerſiones. Morum enim hę ſunt motiones. Vt enim corpora, ſic mores ex motionibus iudicantur. Quoniã autem facetiæ ac ſales patent latiſſimè, complureſq; ludicris ac dictis plus capiuntur, quàm ratio poſtulat: factũ eſt vt ſcurræ, vrbani & faceti, quaſi elegantes & politi homines appellarentur. Sed

Cap. 8.

tamen ex iis perſpicuũ eſt, quæ dicta ſunt, inter eos magnas eſſe diſſimilitudines. Huic autẽ mediocritati finitima dexteritas eſt. Dextri vero eſt, ea & dicere & audire omnia, quæ probo viro ac libero digna ſunt. Cum enim talẽ hominẽ, quædam & ioco dicere decet & audire. Magna etiam eſt diſtinctio inter ioços ingenui & illiberalis hominis, eius etiã, qui eruditus eſt & indocti: quod ex antiquis nouiſque comœdiis perſpicere licet. Illis enim facetũ erat verborum obſcœnitas, his vero ſuſpicio & ſignificatio obſcœnitatis ſatis habet ridiculi: quibus in rebus multũ eſt diſcriminis ad verſtatem ſeruandum. Vtrum igitur qui recte iocatur, ſalesq; iacit ex ea ſtatuendus ſit, quod ea dicat, quæ libero homini digna ſunt, an quod eum qui audit, minimè offendat, aut delectet potius, an ne hoc quidem certum eſt? Alios enim alia offendunt atque delectant. Idem etiam talia audiet libentius. Quæ enim quiſque audire ab altero vellet, eadem etiam facere videtur. Non igitur omnia faciet. Scommatem enim quod nos cauillum ac ſalſe dictum interpretamur, conuitiũ & maledictum quoddam eſt. Et legiſlatores quædam iactari conuitia prohibent: æquũ autem erat idem de dicto cauere. Quocirca politus & liberalis homo ita animo affectus erit, vt ſibi ipſe lex eſſe videatur. Atque is quidem, qui medium locum obtinet, eum ſe ipſe præſtabit, ſiue dexter, ſiue vrbanus nominetur. At vero ſcurra à riſu lõgè multũq; ſuperatur, qui nec ſibi parcit, nec cæteris, modò vt riſum concitet: atque idem eiuſmodi commemorat, quæ homo politus nolit vnquam dicere: nonnulla etiam quæ ab auriũ comprobatione abhorreant. Ruſticus autem omnino ad has congreſſiones inutilis eſt. Nam cùm nullum ipſe ridiculũ iaciat,

offenditur omnibus. Atqui videtur in hominum vitam requies & iocus inuectus necessariò. Tres igitur, quas dixi, versantur, in hominum vita mediocritates, quæ omnes in quorundam dictorum, factorúmque societate consistunt. Hoc autem differunt, quòd una in veritate, aliæ in vitæ iucunditate cernuntur. Earum autem quæ in iucunditate positæ sunt, una in iocis, altera in aliis vitæ societatibus congressionibúsque consistit.

De verecundia autem non est quod, vt de aliqua virtu- Cap. 9.
te, dicendum esse videatur: siquidem perturbationi est, quàm habitui similior. Itaque definitur esse metus quidam dedecoris & infamiæ: eodémque modo nascitur, quo metus is qui in rebus asperis formidolosísque cernitur. Nam & erubescunt, qui pudore afficiuntur: & qui mortis metu exhorrescunt, terrore pallescunt. Quare ad corpus vtrumque quammodo pertinet, quod perturbationi magis videtur, quàm habitui proprium. Nec verò omni ætati, sed adolescentiæ conuenit hæc perturbatio. Ea enim ætate qui sunt homines, verecundos prudentésq; putamus esse oportere: ídque ob eam causam, quòd cùm perturbationibus multũ ducantur, peccatis multis contaminari solent, à quibus pudore deterrentur ac reuocantur. Ac adolescentes laudamus verecundos: senem autem quòd pudore afficeretur, nemo laudauit vnquam. Nihil enim cum existimamus facere oportere, eorum ex quibus pudor nascitur. Neque enim hominis probi est verecundia affici: siquidẽ propter mala oritur, quæ nequaquam facienda sunt. Quòd verò aliæ res per se turpes sunt, aliæ opinione, nihil refert: quandoquidẽ neutræ faciendæ sunt, vt non sit pudori locus. Est autem improbi, ita ani-

mo affectum esse, vt quod turpe fœdúmque sit velit facere. Absurdum verò sit, eo esse animo, vt si quid tale agas, afficiare pudore, & propterea te probum iudices. Pudori enim est locus in rebus voluntariis. At vir probus nunquam voluntate sua quæ praua sunt faciet. Sed tamen potest ex hypothesi probitatis esse verecundia. Nã si turpe aliquid gesserit, ex eo pudore afficietur. Atqui hoc nusquam reperitur in virtutibus. Quòd si impudentia in malis est, & nullo pudora affici ex turpibus factis, malum: nihilo magis eum qui hęc faciat, pudore affici probitatis est. Nec verò continentia virtus est, sed mediæ ac mixtæ naturę, de qua postea disseremus. Nunc de iustitia dicamus.

ARISTOTELIS
Ethicorum liber V.

ARGVMENTVM.

QVATVOR in partes diuiditur: primùm enim agitur de iustitia, deinde de iure, tum de æquitate: postremò explicatur quæstio, an quis sibi ipsi inferre possit iniuriam. Iustitia veluti ius statuens est habitus animi, quo sumus apti ad iustas actiones, voluntúsque iustè agere, & agimus. Distribuitur in generalem & particularem. Generalis refert omnes omnium virtutum actiones ad bonum commune. Estq; reipsa idem atque vniuersa virtus, ratione autem ab ea distinguitur. Quoniam iustitia ad alterius commodum refertur, virtus in eo, cui inest, absolutè consideratur. duplex est, alia legitima iustè agens per legum obseruationem, alia æquitas legalem iustitiam emendans. Particularis iustitia reddit vnicuique quod suum est pro dignitate. Quam dignitatem alij æstimant virtute, alij doctrina, alij diuitiis, alij nobilitate, aut potentia aut libertate. Hæc iustitia duplex est, altera distribuens, altera commutans: distribuens, quæ honores & pecunias communes pro dignitate ac meritu personarum æquo iure dispensat. Nam in distributione rerum ita habenda est ratio dignitatis personarum, vt sicuti vna persona superat aliam dignitate, itares quæ digniori personæ tribuitur, rem superet quæ indignori confertur: siq; pares sint personæ, paria præmia ferant. Aliter hinc querelæ, criminationes, pugnæque nascuntur. Commutans iustitia est, quæ seruat iustum æquale in pactis contrahendísque negotiis. Quæ æqualitas intelligitur secundum parem quantitatem rerum, quæ inter se commutantur. Vt si quis mutuas dedit coronas, decem totidem recipiat: ita fieri consueuit in venditionibus, locationibus, sponsionibus cæterísque bonæ fidei contractibus. Lex talionis non est ius simpliciter, quo (sicut statuebant Pythagorei) rependitur absolutè idem specie ei qui malum alteri importauit: vt animam pro anima, oculum pro oculo. Quoniam neque est ius distribuens, in quo habetur ratio dignitatis ac meriti personarum,

neque omnino est commutans, quo tantummodo idem specie recipiat is, qui egit (vt illi volunt) quoniam res etiam diuersi generis inter se permutantur, vt calceus frumento vel pecunia, quae ad faciliorem rerum permutationem prudenter est excogitata. Veruntamen lex talionis est quoddam ius, iurisque fundamentum, quo ciuitates, amicitiae ac societates conseruantur, nempe commutans, dum par pari viciſsim refertur secundum aequalitatem quantitatis, vt tantum quis recipiat quantum egit, siue illud sit idem specie, siue diuersum: vt in illatis iniuriis vindicandis is qui aliquem laesit, pro laesione corporis aut famae non semper laesione pari mulctetur, sed in pecunia bonisque externis plerunque soluat tantum ei qui laesus est, & tantum Regi. Acciarum quidem virtutum duo sunt extrema vitiosa: iustitiae vero vnum reipsa duntaxat vitium, id est iniustitia, aduersatur, ratione tamen duo, hoc est plus et minus quàm aequum patiatur: quoniam aliarum virtutum extrema contrariis actionibus admittuntur. Extrema iustitiae vnica actione perpetrantur. Qui enim plus commodi vsurpat sibi, is alteri cui aufertur, minus relinquit: & qui minus incommodi accipit sibi, is in alterum plus transfert. 2. pars iustorum aliud politicum, de quo propriè loquitur Aristoteles, aliud per similitudinem. Iustum seu ius ciuile est, quod inter socios aequales natura vel instituto consistit. Cuiusmodi sunt ciues, inter quos est legis communio & aequalis quaedam imperandi parandique viciſsitudo. Duplex est aliud naturale, quod eandem vim habet apud omnes, non quòd ita statutum sit aut secus. Aliud legitimum, quod initio nihil interfuit sic an secus fieret, cùm autem positum est, iam interest. Iustum per similitudinem iuris ciuilis est, quod inter inaequales cernitur, quorum vnus alteri natura vel instituto subditus est, vt ius domini in seruum, patris in filium, viri in vxorem. 3. pars. Equitas est iustitia generalis, quae legem communem emendat ad mentem legislatoris: qui si adesset, ita decerneret, de eoque si praesciuisset, legem tulisset: aut si praesciuit, nec tulit, is consultò suis posteris prudentibus ac bonis suam legem interpretandam reliquit. Vir aequus & bonus est, qui aequitatem meliorem iustitiae partem sequens de suo iure decedit, etiam si legis habeat praesidium. Nam si legem tum sequeretur veluti iudex durior, exoriretur summum ius, in quo est summa iniuria, interdumque Reip. vehementer perniciosa. 4. pars. Nemo propriè sibi inferi iniuriam. Quia tum idem esset agens et patiens iniuriam. Quandoquidem iniuriam facere propriè est sponte aliquem laedere contra eius voluntatem. Et pati est iniustum perferre itidem contra patientis voluntatem. Quae duo licet mala sint: tamen deterius est facere quàm pati iniuriam, tametsi ex accidente nihil prohibet interdum hoc esse, quàm illud grauius. Quare ex definitione posita de inferenda accipiendaque iniuria satis constat eum, qui seipsum interficit propriè non se afficere iniuria. Afficit verò ciuitatem cuius est pars: quae eum propterea mulctat, communique aliorum sepultura iustè prohibet. Aliquis tamen sibi ipsi inferre potest iniuriam, iniustitia per translationem dicta, quae inter inaequales iniustum exercet, veluti quando appetitus sentiens imperat, et ratio ei paret perinde ac si seruus hero dominetur. Sibique ipsi quispiam iustum praestare potest, & praestat iustitia per similitudinem, quae inter inaequales iustum seruat, vt cùm ratio sentientem appetitum affectionesque regit, veluti seruum dominus suo imperio moderatur.

DE iustitia & iniustitia hoc cognoscendum est, quibus in actionibus cernantur. & iustitia quaenam mediocritas sit, quarumque in rerum medio ius iustumve ipsum consistat. Qua in explicatione eandem quam in superioribus viam & rationem sequemur. Videmus igitur huiusmodi quã- Cap. 1.

dam habitū omnes iuſtitiā dicere, quo apti ſunt ad res iuſtas gerendas, quóq; iuſtè agunt, & quæ iuſta ſunt, volūtate amplectuntur. Eódemque modo de iuſtitia ſentiūt, qua iniuſtè faciunt, & res iniquas iniuſtáſque volunt. Itaque hæc primùm quaſi prima quædam lineamenta ſint à nobis propoſita. Neque enim eodem modo ſe res habet in ſcientiis & facultatibus, vt in habitibus. Facultas enim & ſcientia contrariorum eadem videtur eſſe: habitus autem contrarius contrariorū non videtur: vt à valetudine non efficiuntur contraria, ſed ſolùm quæ valetudini conſentanea ſunt. Ambulare enim quempiā valenter dicimus, cùm ambulat vt valens. Contrarius ergo habitus ex cōtrario ſæpe intelligitur: plerunque etiam habitus ex rebus ſubiectis. Etenim ſi firma corporis affectio nota ſit, infirma quoq; nota conſtitutio eſt: ex iiſq; rebus quæ firmam affectionē efficiunt, firma affectio, & ex hac ipſa quæ ad firmā conſtitutionē pertinēt. Si enim bene conſtitutū corpus poſitū eſt in carnis craſſitudine, neceſſe eſt malè conſtitutū affectúmq; corpus in carne tenui cōſiſtere, quódq; ad bene cōſtituendum corpus cōducat, carnis efficere craſſitudinē. Cōſequitur etiam ferè, vt ſi alterū multis modis dicatur, multi etiā modi ſint alterius: veluti ſi quod iuſtū eſt, variis modis dicatur, & iniuſtum: porrò autem multis modis dici, iniuſtitia & iuſtitia videntur. Sed quia vicina eſt, ac finitima eorū nominum homonymia, id obſcurū eſt: nec ſic perſpicuū vt in iis quorū magnæ ſunt diſſimilitudines: in quibus magna eſt in ſpecie differētia: veluti ſtatim apparet clauiculā homonymos dici, cùm pars corporis appellatur, quæ ſub collo animalium eſt, & cùm ea qua oſtia clauduntur. Hoc igitur intelligendum eſt, quot modis

iniustus quis dicatur. Videtur autem iniustus esse & is qui leges violat, & πλεονέκτης, id est, qui semper maiorem sibi partem aufert: adéoque iniquus est, vt perspicuũ sit, iustum esse eũ, qui pareat legib', & qui æquus sit. Justum ergo id erit quod leges iubẽt, & quod æquum est: & iniustũ id, quod cõtra leges est, & quod iniquũ. Et quoniã qui iniusti sunt, πλεονέκται etiam sunt, id est, qui meliorẽ ad se partem tranferũt, versabuntur in bonis, non omnibus quidem, sed in iis tantũmodo, in quibus res aduersæ prosperæq; consistunt. Quę simpliciter bona sunt, semper illa quidem, sed alicui non semper. Atq; hæc optant homines, ac persequuntur, nec debent: sed optare debent potiùs, quæ verè bona sunt, ea sibi bona esse, ea autem sequi quæ sibi bona sint. Verùm iniusti non semper, vt in duobus per se ac simpliciter malis, maius sed etiam minus eligunt. Sed quia minus malum, etiam boni speciem gerit quodammodo, ipsáque πλεονεξία in bonis versatur, idcirco πλεονέκται omnino esse videntur, id est, omnia sibi præcipua semper auferentes. At certè iniqui sunt omnes iniusti: hoc enim verbo continetur vtrunque, & commune vocabulum est. Continet enim quod iniquum est & plus & minus. Sunt etiam παράνομοι, hoc est legum violatores: quoniam hoc ipsum violare leges, iniustitiam omnem complectitur, fusúmque est per omnem iniustitiam. Quoniam autem omnis est, qui contra leges facit, iniustus, & omnis iustus qui paret legibus: perspicuum est ea omnia quæ legitima sunt, in iustis esse quodammodo numeranda. Quæ enim à disciplina legum ferendarum constituta sunt, ea legitima habentur, eadémque omnia iusta dicemus. Leges autem de omnibus præcipiunt, in eóque vel communem omnium vtilitatem exquirunt vel optimorum vel principum: idque vel

actionibus virtutis, vel alia huiusmodi ratione. Quocirca iusta appellamus vno modo ea quæ beatam vitam, & eius partes in ciuili societate afficiũt ac tuentur. At lex quidem & forti suum officiunt præscribit, vt non deserere ordinem, nec fugere, nec vi constuprare: & clementi, vt non verberare, neque conuitiari: itémque in cæteris virtutibus & vitiis, illa iubet, hæc vetat. Ac salutaris quidem habetur ea quæ rectè lata est: quæ inconsultè & inconsideratè, perniciosa. Atque hæc iustitia, absoluta est illa quidem virtus & perfecta, non illa quidem per se ac simpliciter, sed quatenus alterius commoda & vtilitates respicit. Ob eámque causam iustitia sæpe videtur omnium virtutum præstantissima, neque Hesperus aut Lucifer tantam sui excitant admirationem. Ex quo factum est iam tritum sermone omnium prouerbium,

Iustitia in sese virtutes continet omnes.

Eadémque, virtus perfecta est ob id maximè, quòd inest in ea vsus virtutis vndique perfectæ. Perfecta est autem propterea, quòd qui ea præditus est, is etiam erga alios, non in se modò virtutem exercere ac excolere potest. Plerique enim in suis rebus virtute vti possunt, in iis quæ sibi cum aliis intercedunt, non possunt. Quocirca præclarè dictum est illud à Biante, magistratum virum ostendere. Qui enim magistratum gerit, is iam res curat aliorum, & in hominum societate versatur. Ob eámque causam omnium virtutum sola iustitia, in bonis alienis ducitur, quia non ad suum commodum, sed aliorum omnia confert: totáque se ad alienas vtilitates porrigit atque explicat. Aliorum enim commodis vtilitatíq; seruit, nẽpe aut principis, aut Reip. At sceleratissimus quidem est habendus is, qui malitiam & ad suam &

amicorum perniciem exitiúmq; cõuertit. Optimus autem is, qui virtutem non ad ſuam ſed aliorum vtilitatem refert. Eſt enim hoc arduum opus. Atque hæc ipſa iuſtitia, nõ pars virtutis eſt, ſed virtus vniuerſa: & iniuſtitia ei contraria, non par vitij eſt, ſed vniuerſum vitium. Qualis autem ſit differentia virtutis & huius iuſtitiæ, perſpicuum ex iis eſt, quæ dicta ſunt. Eſt enim re idem ratione autem non idem: ſed quâ ad alterum refertur iuſtitia: quâ habitus eſt talis, abſolutè conſideratus, virtus nominatur.

Veluti ſtatim apparet clauiculam homonimos dici.] Vt apud Græcos κλεὶς multiplex vocabulum eſt, ita apud latinos clauicula: propterea ſic latinè reddidi. eſt autem clauicula pars illa corporis quæ diuidit pectus à ceruice, quæ Græcis κλεὶς vocatur.

In multis exemplaribus legitur, τοῦτο γὰρ, παραν μία ἤτοι ἢ ἀνισότης περίεχει πᾶσαν, ſed malè: deinde enim ſunt hæc verba, ἢ παρανομία ἤτοι ἢ ἀνισότης. Vt intelligatur in hoc, τοῦτο γὰρ, παρανομία, ſubaudi.

Quia non ad ſuum commodum, ſed aliorum omnia confert] Verba ſunt Cic. lib. ſecundo de Oratore.

Totáque ſe ad alienas vtilitates, &c.] Verba ſunt Cic. ex lib. 2. de Repub.

Ἡ δὲ τοιάδε ἐξις ἁπλῶς ἀρετή.] Diſtinctio poſt verbum ἁπλῶς ponenda eſt: vt ſic legatur, ἢ δὲ τοιάδε ἐξις ἁπλῶς, ἀρετή.

At enim quærimus iuſtitiã, quæ pars ſubiecta eſt virtuti (eſt enim quædã, vt diximus) & iniuſtitiã eam quę par eſt. Aliquã autem eſſe eiuſmodi, ex hoc velut ſigno intelligi poteſt. Nã qui agit eorum aliquid quæ cæterorũ vitiorũ sũt propria, is facit ille quidẽ iniuſtè, attamẽ non plus æquo ſibi auferre dicitur. Velut ſi quis abiiciat clypeũ propter ignauiam aut maledixerit per excandeſcentiam, aut pecuniis non iuuerit propter auaritiã. Cùm autẽ plus ſibi ſumit quis, ſepe ad nullũ ex illis ſingulis vitiũ illud, nec ad vniuerſa, ſed ad certũ iam aliud pertinet: vituperamus enim tanquã iniuſtitiam. Eſt igitur aliud genus iniuſtitiæ, quæ vt pars ſubiecta eſt generali, itémque aliud quoddam iniuſtum ſubiectum toti iniuſto, quod eſt contra leges. Præ- Cap. 2.

rerea si quis quæstus causa stuprum inferat, quæstúmque inde faciat, aliter cupiditate incẽsus idem de suo largiẽs, & cum damno rerũ suarũ faciat: hic intẽperans potiùs quàm πλεονέκτης, id est, ad rẽ plus æquo auidus esse videatur: ille iniustus, intemperans nõ itẽ. Perspicuum igitur hoc propter quæstũ cõtingere. Iam verò cæteris sceleribus ac iniuriis omnibus si peccetur, id sẽper ad certũ aliquod vitij genus refertur, & pertinet: velut si adulteratus est, ad libidinem & intemperantiã: si in acie commilitonẽ deseruit, ad ignauiã: si pulsauit, ad iracundiam: at si quæstum fecerit, ad nullum vitium refertur, nisi ad iniustitiam. Quare perspicuum est, esse præter generalem, certã quandam iniustitiam, quæ illi subiecta sit, eodem nomine appellatam, quoniam in eodẽ genere posita est definitio. In rebus enim quæ nobis cũ alio intercedũt, vtraque vim suã obtinet. Sed hęc in honore, aut in pecuniis, aut in salute, aut si quo vno nomine hęc cõplecti omnia possumus, & in voluptate ea quę ex quæstu percipitur: illa in iis spectatur omnibus, in quibus qui omnino virtute præditus est. Hoc ergo iam apparet, iustitiæ plura esse genera, aliúdq; esse præter generalem vitutem iustitiæ genus Quæ autem, qualísque sit, deinceps explicandum est. Partitio à nobis posita est rerũ iniustarum, alias esse contra leges, alias iniquas. Et iustarum alias legitimas, alias æquas. Ac iniustitia quidem, de qua suprà dictum est, in eo posita est & consistit, quod sit contra leges. Quoniam autem quid iniquum est & quod sit contra leges, non sunt eadem, sed alterum alteri, vt pars generi subiicitur (quod enim iniquum est, id omne contra leges est: quod autem contra leges, non omne etiam iniquum) efficitur, vt quæ iniusta sint & iniustitia, non sint idem, quod illa, sed aliud omnino. Atq;

hæc tanquam partes sunt, illa tanquam genera: siquidem hæc ipsa iniustitia pars est iniustitiæ generalis: itémque iustiæ subiecta est iustitia. Quare & de iustitia & de iniustitia, quæ vt partes subiectæ sunt generi, nobis dicendum est, & de iusto & iniusto eodẽ modo. Prætermittenda est igitur nobis iustitia ea quę generali virtuti attributa est, iniustitia. quarum in altera vsus virtutis vniuersæ erga alterum cernitur, in altera vitij. Ex quo etiam perspicuum est, iusta & iniusta quæ ab iis proficiscuntur, quo pacto sint explicanda. Pleraque enim eorum quę legibus comprehenduntur, ea sunt quæ ab vniuersa virtute præscribuntur. Nam & ex quaque virtute vitam degere, præscribit lex: & ex vitiis, vetat. Efficiẽtia autem virtutis generalis, sunt ex legitimis ea omnia, quæ de disciplina publica cauta sũt legibus. Nam de ea disciplina quæ priuatim ad singulos pertinet, ex qua absolutè ac simpliciter boni viri existunt, vtrum ad ciuilem scientiam pertineat, an ad aliam, postea disputabimus. Aliud est enim fortassis virum bonum esse, aliud ciuem bonum. Sed iustitiæ quæ tanquam pars subiecta est generi, iustíque eius quod ab ea ducitur, vnum genus est, quod in distribuendo honore, vel pecuniis cernitur, cæterís ve rebus omnibus, quæ diuidenda inter eos sunt qui in ciuili societate & communione versantur: ea enim possunt vel æqualiter inter ciues diuidi, vel inæqualiter. Alterum genus est, quod in pactis contrahendísq; rebus tanquam regula adhibetur. Cuius sunt duæ partes. Nam contractuum alius voluntatis est, alius fit nobis inuitis. Voluntarij sunt, vt vẽditio, emptio, mutuatio, sponsio, locatio, conductio: voluntarij propterea dicũtur, quòd à voluntate nostra principium eorum proficiscatur. Eorum autem qui sunt præter volunta-

tem, partim clandestini sunt, vt furtum, vt adulterium, vt beneficium, vt lenocinium, vt seruorum solicitatio, vt cædes dolo facta, vt falsum testimonium: partim vi fiunt, vt verbera, vt vincula, mors, rapinæ, membrorum debilitatio, conuicium, contumelia.

Quoniam autem quod iniquum est, &c.] Totus hic locus valdè corruptus est in Græcis exemplaribus, sed facilè erit ex mea interpretatione cum Græcis collata restituere: sunt enim delenda illa omnia, τὸ μὲν γὰρ πλέον ἅπαν ἄνισον, τὸ δ' ἄνισον ὑπᾶν πλέον.

Posteà disputabimus.] Id pertinet ad lib. 3. Polit. Arist. cap. 3.

Mutatio.] Ciceronis est lib. prim. Tuscul. quæst.

Conductio.] Ciceronis est sec. Orat. in Verrem.

Cap. 3.

Quoniã autem iniustus iniquus est, & quod iniustũ, idem iniquum: perspicuum est, quoddam esse medium eorum quæ iniqua sunt, id scilicet quod æquum est. In quacunque enim actione plus & minus versatur, in eadem etiã quod æquale est cernitur. Quòd si quod iniustum est, idem inæquabile est: profectò quod iustum est, idem sit æquabile necesse est. Quod quidem omnes, etiam si non afferatur ratio, intelligũt. Quoniam autem quod æquabile est, idem medium quoddam est ius, ídque adeò iustum est, medium quiddam sit necesse est. Quod autem æquabile est, id in duobus minimum cernitur. Necesse est igitur quod iustum sit, medium quidam esse & æquabile, referríque ad aliud, & quibusdam tribui. Et quatenus medium est, aliorum est, quæ plus minúsve nominamus. Quâ æquabile est in duobus spectatur: quâ ius est quibusdam tribuitur. ita necesse est ius in quatuor rebus vt minimum consistere. inter quos enim ius est, duo sunt: in quibus cernitur, res duæ. Eadémque erit æquabilitas, & eorum hominũ inter quos ius est, & earũ rerũ in quibus ius spectatur. Vt enim inter se affectæ sunt res eæ, in quibus ius positum est: sic etiam ij inter quos ius est, inter se affecti. Neq; e-

nim si pares non sint, paria ferent. Aliter pugnæ hinc, criminationes, querelæque nascuntur: si qui pares sunt, non æqua auferũt: aut qui pares non sint, paria accipiãt. Quod etiam ex eo perspici potest, quod cuiq; tribuitur pro dignitate. Nã quod ius positũ est in distribuendo, id omnes confirmãt a dnro dignitate esse oportere. Dignitatem autẽ non eandẽ omnes dicunt: sed in libertate eam ponunt, qui eam formam Reip. sibi proposuerũt, in qua populus præest: in qua pauci præsũt, in diuitiis, alij in nobilitate generis, qui optimatum Reipub. statum sibi constituerũt, in virtute. Quod ergo ius est, id proportione quadã constat. Neq; enim solùm numeri, quo quid numeramus (μοναδικὸς Græcè dicitur) sed omnino numeri propria est proportio & comparatio. Est enim proportio paritas similitudóq; rationis, quæ minimum in quatuor reperitur. Ac deiunctam quidem proportionem perspicuum est in quatuor consistere. Attamen & coniuncta non minùs in iis consistit. Vnum enim in hac pro duobus adhibetur, bísq; dicitur: velut quemadmodum A ad B, sic B ad C. bis igitur B dictum est. Quocirca si bis ponatur B, quatuor erũt analoga, id est proportione inter se collata. Ius igitur in quatuor rebus minimũ cernitur, eademq; eius ratio erit. Distincti enim sunt similiter ij quibus tribuendum est, & ea quæ tribuẽda. Ergo vt est A extremũ ad B, sic C ad D: vicissimq; vt est A ad C, ita B ad D. Ergo ad tota, quæ ipsa distributione iunguntur. Quod si ita composita sunt, iustè copulantur. Ipsius ergo A extremi cum C, & ipsius B cum D coniunctione, ius quod tribuẽdo cernitur, omne cõtinetur, estq; ius in medio eius, quod à proportione est alienũ. Quod enim analogon est, idem medium: quod autem iustum est, mediũ est analogon. Hanc proportionem vocant Mathematici

geometricam, quòd in ea contingit vt tota sit cum totis, quêadmodum vtraq; cum vtrisque conferantur. Non est autẽ cõiuncta hæc analogia, propterea quòd non vsuuenit vt sit, vnum numero extremum cui tribuitur, & quod tribuitur. Atq; hoc quidem ius analogon est: quod autem iniustum est, id contra proportionẽ est. Existit ergo hîc plus & minus: quod quidem etiam in factis accidit. Qui enim alteri facit iniuriã, boni plus adipiscitur: cui verò fit iniuria, minus. Cõtrà fit in malis propterea quòd leuius malum speciem quandã fert boni, si cum mai ore cõferatur. Est enim minus malũ potiùs, quàm maius eligendũ. Quod autem eligendũ est, id bonum est: & quod maius eligendum est, id maius bonum est. Ac vnum quidem iuris genus huiusmodi.

Cap. 4. Alterum ac reliquum genus est quod velut regula adhibetur contractibus, & voluntariis & non volũtariis. Huius autẽ generis alia quędã forma est atque superioris. Nam quod ius in diuidẽdis tribuẽdísque cõmunibus inter ciues rebus cõsistit, semper ea quam dixi proportione constat. Nã si diuidendæ sunt publicæ pecuniæ, eadem ratio seruanda erit, quam habent inter se pecuniæ in publicũ collatæ: eáque iniuria quę huic iuri cõtraria est, ab ea proportione est aliena. At verò ius id quod in cõtrahẽdis negotiis cernitur, quædã pars est æquitatis, & iniuria iniquitatis: sed tamen non ad illam analogiã seu comparationem, verùm ad arithmeticã pertinet. Nihil enim attinet, vtrũ probus improbũ fraudauit, an probũ improbus: nec vtrũ probus, an improbus adulteratus sit: sed lex dãni solùm spectat dissimilitudinem, vtitúrq; pro paribus, si alter iniuriam fecit, alter iniuriam passus est. Et si hic damnũ dedit, ille accepit. Ideóq; iniuriam hãc, quoniã inæquabilis est, ad æquabilitatem iudex conatur reducere.

Nūm hic verberatus sit, aut interfectus, ille verberarit, aut etiam interfecerit, diuisa in inæquabilia perpessio & actio est: sed ea ad æqualitatem, multa imposita, iudex redigere conatur, detrahẽdo aliquid de lucro. Vocatur enim (vt id semel dicam) in rebus eiusmodi, etiam si minus aptũ quibusdam nomen videatur, in eo qui verberauerit, lucrum, emolumentũ & quæstus: in eo qui violatus est, detrimẽtum & damnum. Cùm autem perpessio ad æquabilitatem reuocata est, hoc damnum, illud lucrum nominatur. Ita & eius quod amplius est, & eius quod minus, medium æquabilitas est. In lucro autem & damno contrario modo plus & minus cernuntur. nam plus boni, minus mali lucrum est, cuius contrarium est damnum. quorum quidem medium æquabilitas est, quam eandem ius esse dicimus. Ergo ius illud quod ad emẽdandum valet, medium damni & lucri, detrimenti & emolumenti sit, necesse est. Itáque cùm orta controuersia est, confugiunt ad iudicem: confugere autem ad iudicem est ad ius confugere. Profitetur enim se iudex velut animatum ius esse. Conquirunt iudicem omnes, qui medius sit, quem eundem nonnulli μεσίτην, id est quasi mediatorem appellant, quasi si quando medium consequentur, ius suum se putant obtinere. Medium ergo quiddam ius est, siquidem etiam iudex. Et iudex quidẽ ad æquabilitatem reuocat: similitérque facit, vt si linea in partes non æquas secta sit, & detrahat particulam qua maior præstat dimidiatam, eámque ad breuiorem addat. Cùm autem in duas partes æquas totum sectum est, tum suum quisq; tenere se prædicat, cũ id quod est æquabile obtinuit. Æquabile autem in medio positum est eius, quod maius minúsque

est proportione arithmetica: ob eámque causam δίκαιον Græcis vocatur, quod δίχα, id est, bipartito diuisũ sit: vt si quis, vocet δίχαιον & δικαστὴς vocatur quasi δίχαστὴς. Si enim res duæ pares sint, ab earúmque altera detrahunt quippiam, quod ad alterum addatur, duabus his partibus præstabit alteri. Etenim si detracta fuisset, non etiam addita, profectò una modò parte superaret. Medium ergo vno separatur: & medium id superat, vnde detractum est, vno. hinc ergo perspicere possumus, & quid ei adimendum sit, qui plus est consecutus, & quid addendum ei, qui minus. Qua enim re medium præstat, ea addenda illi est, qui minus tulit: & qua superatur, à maxima auferenda. Ponamus tres esse lineas æquas inter se, AA, BB, CC, ab AA linea detracta, pars AE addatur ad CC lineam, appelletúrque CD. Ita tota linea DCC, lineam EA vincit parte CD, & parte CE. Ergo lineam BB parte CD vincit. Quod etiam in aliis artibus contingit. Tollentur enim funditus, nisi, & quantum & quale opus artifex efficit, tantumdẽ ac tale is qui accipit accipiat. Profecta sunt autẽ damni & lucri nomina à contractu voluntario: Nam vendendo, emẽdo aliísque omnibus cõtractibus qui lege concessi sunt, si plura auferas quàm quod tuum erat, id demum lucrum dicitur: sin minus, quàm apud te fuit, à principio auferas, damnũ. At verò si neque plus neque minus abstuleris, sed eadem pro iisdem nõ acceperis: tum se sua quisque habere confirmat, vt nec damnum acceperit, nec lucrũ fecerit. Quare in damni lucrique medio ac moderatione ius positum est, id quidem quod in iis cernitur quę sunt præter voluntatem, cùm & antè quàm res contrahatur, & postquam contracta est, quod æquũ est obtinetur:

Cap. 5.

At in lege talionis videtur quibusdam ius esse omnino positũ: in qua sententia Pythagoræi fuerũt. Definiebant enim omnino ius esse, talionis reciprocationẽ. Atqui lex talionis, nec ad ius quod in tribuendo cernitur, nec ad id quod emendandi causa comparatũ est, accommodatur: tametsi volunt hoc quidem etiam à Rhadamantho profectum ius dicere,

Si quod quisque alij facit, hoc patiatur, erit ius.

Multis enim id locis alienum esse videatur: veluti, si quempiam magistratus verberauerit, non est referiendus. Etsi quis magistratui manus attulerit, non solùm referiendus, sed supplicio etiam coërcendus est. Præterea permultum interest, utrum voluntate ac sponte nostra, an inuiti quid faciamus. Attamen in communicatione quæ rebus contrahendis cernitur, hoc ipsum ius rationis proportione, nõ æquabilitate, hoc de quo agimus iure concluditur. Vicissitudine enim factorum, quæ proportioni congruat, resp. continetur ac permanet. Aut enim nocendi quærunt occasionem ij scilicet quibus facta est iniuria: quod si minus contingat, seruitus videtur esse, si minus, par pari referre liceat: aut benemerendi, cùm beneficium scilicet acceperunt: sin minus, non extat ciuium cum ciuibus res suas communicandi voluntas. Atqui societate & suarum inter homines vtilitatum communicatione stat ciuitates. Itaque Gratiis delubra media vrbe consecrantur, vt referatur gratia. Hoc enim gratiæ est proprium. est enim ei qui gratificatus est referenda gratia: & rursus qui beneficium acceperat, alterum officiis prouocare debet. Facit autem per diametrum extremorum coniunctio, proportionẽ constãtem renumerationem: veluti esto architectus A, sutor B, domus C, calceus D. Archi-

tectum igitur necesse est à sutore ipsius opus sumere, eique vicissim suum communicare. Si ergo primùm æquabilitas proportione constans extiterit, deinde vicissim inter se res suas communicẽt, tum quod dixit, extabit omnino. Sin minus nec æquabilitas extabit, nec societas retinebitur. Nihil enim prohibet, vnius opus præstantius esse, quã alterius, oportet igitur illa adæquari. Quod etiam in aliis fit artibus. Tollantur enim omne funditus, nisi quanti precij & quale opus artifex affecerit, tantidem & tale emat qui accipit. Neque enim ex duobus medicis constat ciuilis societas, sed ex medico & aratore, atque iis omnibus qui diuersas inter se ac dissimiles artes exercent: quos tamen oportet pares reddere & adæquare. Itaque oportet res omnes, quarum est permutatio, quodammodo inter se esse comparabiles. Ad quem vsum comparatus est numus. Qui quoniam omnia metitur: idcirco mensura quodam modo efficitur. Quocirca quod pluris est, & quod minoris metitur: vt quod tandem calcei, domus vel alimenti precium possint adæquare intelligatur. Æquum est igitur, vt architectus est, aut agricola ad sutorem, tot esse ad domum, aut alimẽtum calceos. Nam si id minus fiat, nec inter illos pactum intercedat, nec vlla communio. Illud verò, si non sint quodam modo paria, esse non poterit. Ergo vna re aliqua metiẽda sunt & æstimanda omnia, quemadmodum suprà dictum est. Ea autem est re quidem vera indigentia, qua omnia continentur. (Etenim si nullo indigerent homines, aut si non pariter indigerent, profectò aut nullum, aut certè non idem inter eos pactum conuentúmque intercederet.) Verùm introductus est numus, vt esset indigentiæ velut subsidiaria

permutatio: idque ex pacto & hominum instituto. Ob eam que causam νόμισμα appellatur: quòd non natura, sed νόμῳ, id est, lege numus valeat, in nobisque id sit, ut mutetur & reddatur inutilis. Erit igitur tum demum locus legi talionis, quando ita res exæquatæ fuerint: ut quod est architectus ad sutorem, hoc sit sutoris opus ad architecti. Non sunt autem ad formam ac speciem proportionis deducendi tum, cùm iam rem inter se contraxerint, alioqui extremum alterum vtranque præstantiam obtinebit, sed cùm adhuc sua quisque tenebit. Si pares futuri sunt, résque suas vicissim inter se communicabunt: propterea quòd tum inter ipsos hæc ipsa æquabilitas possit intercedere. Esto agricola A, alimẽtum C, sutor B, opus illius adæquatum D. Quòd si minus hoc modo vicissim darent & acciperent, nunquam vlla societas rerúmque communicatio intercedet. Indigentia autem societatem hãc velut vno quodam vinculo contineri hinc intelligi potest, quòd cùm vterque altérve nihil alterius desiderat, contractus inter eos nullus solet interuenire. Quemadmodum cùm alicuius, verbi causa, vini penuria quis laborat, quo alter abundat, datur exportandi frumenti potestas. Hæc ergo exæquenda sunt. Futuræ autem permutationis, si fortè nulla re nunc nobis opus est eius tum cùm opus erit nobis facultatem futuram, numus velut fideiussor quidam datur. Etenim qui illum portat, facultatem accipiendi id quo indiget fieri oportet. Ac numus quidem patitur idem quod indigentia: neque enim semper æqualis precij est: sed tamen permanere solet, diutius. Itaque debent rerum omniũ certa esse precia: sic enim contractus futuri sempiterni sunt: qui quandiu futuri sunt,

tandiu futura est hominum inter ipsos societas & commu-
nio. Numus igitur tanquam norma & regula, rebus in-
ter se aptè comparatis & dimensis, eas exæquat. Neque
enim sublato contractu consistere societas vllo modo potest;
neque contractui locus relinquitur sublata æqualitate: ne-
que æqualitati, sine apta quadem rerum inter se mensura
& compositione. Ac verè quidẽ vt dicam, non possunt res
tam inter se dissimiles aptè inter se comparari, sed quantum
satis sit ad vsum necessitatémque, possunt. Vnum ergo ali-
quid necesse est adhiberi: idque hominum conuentione &
instituto. Vnde etiam νόμισμα, id est, numus vocatur. Hic
enim res omnes facit comparabiles: siquidem numo omnia
æstimamus ac metimur. Esto domus A, libræ decem B, le-
ctus C. atque A sit ipsius B dimidium, vt domus quinque
libras aut tandidem æstimetur. C autem, id est lectus, pars
sit decima ipsius B. Num igitur perspicuum est lectos
quinque domus æquare precium? Hoc etiam apparet, hanc
rerum contrahendarum rationem, antequam numus inuen-
tus esset, fuisse seruatam: Quid enim interest, vtrùm lecti
quinque pro domo, an quanti lecti quinque valent, dentur?
Atque iniuria quidem quid sit, & quidius, diximus. Qui-
bus expositis, perspicuum est, iustè agere, medium esse, inter
facere & accipere iniuriam: quoniam illud est plus habere,
hoc minus. Sed iustitia mediocritas est illa quidem, non ta-
men quomodo superiores virtutes, sed quia est medij, hoc est
eius quod æquabile est. Iniustitia verò extremorum est.
Ac iustitia quidem virtus est, qua quis aptus est & propen-
sus ad ea consulto & certo animi iudicio præstanda quæ
iusta sunt: & ad res ciuibus inter se communes ita distri-

buendas, & ſibi, ſi cum altero, & alteri, ſi cum altero conferatur, vt non ſibi plus emolumenti, proximo minus damni autem contrà: ſed quod æquum eſt ſibi atque alteri proportionem tribuat: itémque alij ad alterum. Iniuſtitia verò contrà eorum eſt quæ iniuſta ſunt, quæ ſunt detrimenti & emolumenti exceſſus & defectus, præter iuſtam proportionem. Itaque iniuſtitia eſt nimium & parum, propterea quòd vtrumque & quod nimium & quod parum efficiat. Ac in ſua quidem cauſa, ſi agatur vtilitas, plus accipit: ſin detrimentum, minus. At ſi res aliorum agatur, in vniuerſum quidem ſimiliter facit: quod verò attinet ad extrema, quæ ſunt extra proportionem, citra vllam rationem temerè in vtrunque declinat, ita vt modò plus, modò minus tribuat. Quod verò ad iniuriam attinet, accipere iniuriam, eſt habere id quod minus eſt: facere autem iniuriã, eſt habere id quod plus eſt. Ac de iuſtitia & iniuſtitia quæ tandem vtriuſque vis ſit & natura: itémque de toto genere iuris & iniuriæ hoc modo dictum ſit.

Talionis reciprocationem] Ita A. Gell. vocat lib. 20. cap. 1.

Quoniam autem fieri poteſt, vt quis iniuriam faciat, nec ſit ipſe iniuſtus: quam tandem iniuriam inferendo in quoque iniuſtitiæ genere, iam iniuſtus habeatur? Verbi gratia adulter, fur, latro? An ne ſic quidem quicquam interest? Nam qui non conſilio & certo animi iudicio, verùm animi perturbatione cũ muliere rem habuerit, quam etiam nouerit quæ ſit: faciat ille quidem iniuriam, ſed tamen nondum ſit iniuſtus: quemadmodum nec fur, qui tamen furatus eſt: nec adulter qui adulteratus eſt, itémque in cæteris. Aciam quidem ſuprà, quam rationem lex ta- Cap. 6.

lionis ad ius haberet, explicauimus. Verùm hoc ignorare non debemus, hoc ius quod quærimus, & omnino ac simpliciter ius esse, & ciuile ius esse. Ius autem ciuile est inter socios vitæ, vt abundè omnia suppetant, eósque liberos & æquales vel proportione vel numero. Itaque inter quos hoc non est inter eos ius ciuile non est, sed quoddam par ac simile. Inter eos enim iuris communio est, inter quos est legis cõmunio. Legis porrò communio inter eos est, inter quos iniustitia. Iudicium enim iuris & iniuriæ diiudicatio est. Inter quos autem iniustitia est, inter eos iniuriæ faciendæ locus est. Sed inter quos iniuriæ faciendæ locus est, non est etiam inter eos omnes locus iniustitiæ: quæ quidem tum est, cùm sibi ipsi plus eorum quæ simpliciter bona sunt, tribuit, & eorũ quæ simpliciter mala sunt, minus. Idcirco non hominem imperare sinimus, sed rationem quòd hæc sibi ille sumit, sitque tyrannus. Est autem custos, conseruatórque iuris, magistratus: quòd si iuris, & æquabilitatis. Quoniam autem si iustus sit quispiam, nihil sibi plus æquò sumit & attribuit (neque enim sibi vnquam plus tribuit, quàm aliis, eorum quæ simpliciter bona sunt, nisi penes eum sit quæ proportione spectatur maior dignitas) idcirco quæcunque agit, ad aliorum commoda refert. Ob eámq; causam in bonis alienis (vt suprà diximus) iustitiam numerant. Danda igitur merces aliqua est: quæ cùm sint honos & gloria, quibus hæc non sint satis magna præmia tyranni efficiuntur. Ius verò domini in seruos, & patris in liberos, licet simile sit, non idẽ est quod illa. Neq; enim in res suas locus est iniustitiæ, quæ simpliciter ita dicitur. Atqui possessio cuiusque, ac liberi quoad adoleuerint, & de patris potestate

exierint, quasi partes quædam ipsius censetur: sibi autem nemo de industria vult obesse: ideóque non est cuiquam erga seipsum iniustitiæ locus. Quare nec ius ciuile, nec iniuria. Hæc enim lege dicebamus constare, intérque eos omnino locum habere, inter quos naturâ legis communio est. Qui quoniam sunt ij inter quos æquabilis quædam est imperandi parendíque vicissitudo, idcirco inter virum & vxorem potiùs, quàm inter patrem & liberos, dominum & seruos communio iuris est. Nam hoc ius est, quod domesticum & familiare dicitur: quod aliud est atque ciuile.

Ciuile autem ius aliud naturale est, aliud legitimum. Cap. 7.
Naturale est, cuius vis eadem est apud omnes, non quod sic videatur, aut secus. Legitimum autem id appellatur, quod initio nihil interfuit, sic an secus fieret: cùm autem latum positúmque est, iam interest. Veluti captiuos mina redimi, aut capram immolare, non duas oues: præterea quæ lege cauta sunt de rebus singulis, vt Brasidæ sacra facere: & quæ publicis decretis sancita sunt. Atque omnia iura, quorundam quidem opinione, in hoc secundo genere sunt, propterea quòd ea quæ naturalia sunt, immutabilia sunt, & vbique idem valent (vt ignis & hîc & apud Persas vrit) iura autem mutari conspiciuntur. Sed non ita est omnino, verùm quodammodo. Nam apud deos quidem certè nusquam mutabile est, quòd natura est insitum: apud nos autem quædam certè à natura insita & tributa mutantur, etiam si non omnia. Nec minus tamen aliud natura constat, aliud non natura. Quæ verò censenda sint naturæ, eorum quæ secus etiam atque sunt, euenire possunt, quæque non natura, sed pacto & lege constare (siquidem

vtraque pariter ſunt mutabilia) hinc perſpici licebit, atque ad cætera omnia eadem diſtinctio accommodabitur. quòd cùm robuſtior ſit dextra natura, tamen fieri poteſt, vt omnes ſint, vt ſic dicam, ambidextri. Porrò quæ iura hominum inſtituto conſtant, & vtilitate diriguntur, ſimilia ſunt menſuris. Neque enim vbique terrarum pares ſunt vini tritícique menſuræ: ſed quo in loco emuntur, maiores: vbi venduntur, minores. Itémque iura non naturalia, ſed humana, non idem vbique valent: quando ne ciuitatis quidem regẽdæ vna ſeruatur apud omnes ratio: tametſi vna quædam ſit quæ vbique optima ſecundum naturam ducitur. Iura autem & legitima quæque eandem ad ſingula quæ aguntur, habent rationem, quàm res vniuerſæ ad ſingulas: Quæ enim geruntur, multa ſunt: illorum vnũquodque eſt vnum, quoniã vniuerſum quid & totum eſt. Differt autem ab eo quod iniuſtum eſt, iniuria, & iure factum à iure eó ve quod iuſtum eſt. Quod enim iniuſtum eſt, omne eſt vel natura vel inſtituto: quod ipſum poſteaquam factum eſt, iniuria dicitur: prius quàm geſtum ſit, nondum iniuria eſt, ſed iniuſtũ: quod quidem cùm factum eſt, iniuria eſt. Eadémque ratio eſt in eo quod iure factum eſt, quod Græcis eſt δικαίωμα. Sed tamen quod commune eſt, magis διαταγμα dicitur: δικαίωμα autem, iniuriæ emendatio. Quorum omnium quæ, quótque ſint genera, quibúſque in rebus verſentur, poſteà videbimus.

Cap. 8. *Sed cùm ea quæ iuſta ſunt, quæque iniuſta, ea ſint quæ expoſuimus: tum quiſque facit iniuſtè aut iuſtè, cùm voluntate ſua facit: cùm inuitus, nec iniuſtè, nec iuſtè facit, niſi ex accidente: quòd ea gerat, quibus vt iuſta ſint aut iniuſta*

accidit. Voluntate igitur, eóque quod fit præter voluntatẽ, iniuria, & iniustè factum definita sunt. Cùm enim à voluntate proficiscitur, tum & in vitio est, & simul iniuria est. Ergo aliquid iniustũ est, quod non idem iniuria est, nisi voluntas accesserit. Dico autem voluntarium id quod in sua quisque (vt antè diximus) potestate positum, sciens agit, nec eũ ignorans, in quo versetur actio, nec quo instrumento agat, nec finem ipsum: vt verbi causa quem verberet, quo instrumento, & qua de causa verberet: atque illa non ex accidente, aut vi faciat: veluti si quis arrepta manu alterius alium pulset, non faciat ille sua voluntate: quãdoquidem in eo id situm non est. Potest autem accidere, vt pater sit qui pulsetur, cùm tamen is qui pulsat, hominem esse cognoscat: aut quẽpiam eorum qui adsunt, patrem autem esse nesciat. Quod idem & in fine, & in tota actione considerandum est. At quod quisque ignorans facit, aut si minus ignorat, non est in eius potestate, aut vi cogitur: id demum est quod quis inuitus facere dicitur. Multa enim eorum etiam quæ naturæ necessitas adfert, scientes & gerimus & sustinemus: quorum nihil nec voluntarium est, nec præter voluntatem: vt senescere aut mori. Cadit autem pariter in iusta & iniusta illud per accidens. Etenim si reddat depositum quis inuitus aut metu coactus, is non est dicendus res iustas facere, nec iustè agere, nisi ex accidẽte. Itémque qui coactus aut inuitus depositum non reddiderit, non est dicendus iniuriam facere aut agere quæ iniusta sunt, nisi ex accidente. Eorum autem quæ voluntaria sũt, quædam consultò agimus, quædam inconsultò. Consultò, cùm antecessit deliberatio: inconsultò, cùm non præcessit deli-

beratio. Cùm autẽ in vitæ humanæ ſocietate tria ſint noxarum genera, quæ per imprudentiam geruntur, peccata ſunt: cùm admiſerit in eum, de quo nihil tale cogitarat, nec quo id inſtrumento ageret, neque quid, quáque de cauſa faceret. Aut enim voluit non pulſare, aut non quo pulſauit, aut non eum quem pulſauit, aut non ea de cauſa quam putabat: ſed fortè fortuna accidit ſecus quàm putarat: veluti non vt vlnus infligeret, ſed vt pungeret, aut non quem putarat, aut non quemadmodum volebat. Cùm ergo inopinatò nocetur, infortunium dicitur: Cùm autem non inopinatò, ſed tamen abſque dolo & malitia, peccatum nominatur. Tum enim peccat quiſpiam, cùm in eo poſitum eſt cauſæ principium. Infortunio autem agit, cùm extra eſt principium. At cùm ſciens quidem, ſed re minus deliberata, iniuſtitia dicitur. Quo in genere ſunt ea quæ per iram fiunt, aut aliis animi perturbationibus, quæ cùm neceſſariæ ſint, aut naturales, in hominem cadere ſolent. Nam qui iis incitati, nocent aliis ac delinquunt, faciunt illi quidem iniuriam, ac rectè iniuriarum nomine dicuntur, quæ ita fiunt; nec tamen ſunt propter hæc iniuſti nec improbi habendi. Neque enim malitiosè damnum illatum eſt. At cùm cogitatò & conſultò nocetur, tum iniuſtus & improbus habendus eſt. Itaque rectè ea quæ per irã fiunt, iudicantur non fieri de induſtria: quippe cùm non is author & caput malifit, qui ira incitatus facit, ſed qui incitauit. Præterea non id quæritur, cùm quis iratus nocuit vtrum factum ſit nec ne, ſed vtrum iure: quoniam ira non niſi ex obiecta iniuſtitiæ ſpecie naſcitur. Neque enim hic de facto controuerſia eſt, ſicut in hominum conuentionibus inter ſe: in quibus

neceſſe eſt alterum improbum eſſe, niſi id per obliuionem faciant, ſed conceſſo facto, omnis de iure controuerſia eſt. At qui dolum adhibuit, non facit imprudẽs. Quocirca alter ſibi factam iniuriam putat, alter nõ putat. Quòd ſi conſultò noceat, iniuſtè agit: & qui huiuſmodi tandem iniurias infert, iniuſtus eſt habendus: quando à iuſta proportione, aut æquitate diſceſſerit. Itémque iuſtus is, qui conſultò rem iuſtã gerit: iuſtam autem rem gerit, iuſtéve agit, ſi modò ſponte. Eorum autem quæ fiũt nobis inuitis, alia venia digna ſunt, alia non digna. In quibus enim homines non modò imprudentes, ſed etiam per ignorationem delinquunt, in iis veniæ locus eſſe debet. Quæ autem non per ignorationem agunt, ſed imprudentes propter animi perturbationem nec naturalem nec humanam, iis nullo modo ignoſcendum eſt.

Sed hic quærat aliquis, ſatísne accuratè de accipienda faciendáque iniuria diſſeruerimus? Ac primùm, vtrum ſic eſt, vt Euripides abſurdè dixit, Cap. 9.

Quid ſit cur natus matrem occíderim meam?
Breuis quidem non longa ſit defenſio,
Volens volentem, vel volentem non volens.

Vtrum inquam fieri poſſit, vt ſua quis voluntate iniuriam accipiat, an non poſſit: ſed totum hoc præter voluntatem ſit, quemadmodum facere iniuriam, voluntatis? Et vtrum totum eſt huius vel illius generis, quemadmodum omnis iniuriæ voluntaria eſt illatio: an verò partim voluntatis eſt, partim non eſt? Quod idem de obtinendo iure quæri poteſt: nam iuſtè agere, omne à voluntate proficiſcitur. Itaque conſentaneum eſt eodem modo iſta duo iniuriam accipere, & ius ſuum obtinere, reſpicere ſua contraria, vt

sit vtrumque voluntatis, vel neutrum. At enim ius suum obtinere, omne voluntarium esse, absurdum est. Sunt enim quibus inuitus ius suum tribuitur. Alioqui hoc etiam cuipiam dubium videatur, vtrum qui iniusti aliquid tolerat, etiam accipiat iniuriam? An verò vt in faciendo, sic etiam in perferendo res se habet? fieri enim potest, vt ex accidente sit quispiam iuris & agendo & patiendo particeps, quod idem in rebus iniustis posse accidere planum est. Neque enim idem est, quæ iniusta sunt facere, quod iniuriam facere: nec quę iniusta sunt ferre, quod accipere iniuriam. Eadémque est ratio tribuendi obtinendique iuris. Vt enim iniuria accipi non potest, nisi sit qui inferat: sic nec ius tribui, nisi sit qui tribuat. Quòd si simpliciter iniuriam facere, est alicui sua sponte nocere: ac sponte quidem ita vt sciat & cui noceat, & quamobrem, & quo quasi instrumento noceat: impotentes autem sponte ac voluntate sua de se ipsi malè merentur: efficitur vt sponte accipiatur iniuria, & sibi quis sponte iniuriam inferat. Est autem hoc vnum eorum quæ quærebamus, vtrum fieri possit, vt quis sibi ipse faciat iniuriam. Iam verò sponte etiam aliquis per impotentiam damno affici ab alio volente possit: Ergo fieri potest, vt voluntate sua quis iniuriam accipiat: An non rectè explicata definitio est, addendúmque est præterilla (obesse quempiam scientem cui noceat, quare, quoq; modo noceat) contra illius cui obsit voluntatem. Læditur ergo quis sponte sua, & rem iniustam perfert: ac iniuriam nemo sua sponte accipit. Nemo enim vult, ne impotentes quidem: sed quicquid faciunt, id omne contrà ac volunt faciunt. Neque enim vult quisquam, quòd bonum esse

non arbitretur. Impotens verò facit, quod sentit non esse faciendum. Nec verò qui sua dedit (quemadmodum Homerus ait de Glauco, qui cum Diomede permutauit.

Ære laboratis auro radiantia: nouem
Æstimata bobus pro fortè valentibus centum)

iniuriã accipit: quãdoquidem vt det, in ipsius situm est potestate. At non est in cuiusquam situm potestate, vt iniuriam accipiat, sed alter sit oportet qui inferat. Illud ergo iã apparet iniuriam sua sponte neminem accipere. Iam verò hic explicare liceat duo ex eis quæ ad hoc nostrum institutum pertinent, vter tandem iniuriã facit, ísne qui plus tribuit contra dignitatem, an is cui tribuitur? Et vtrum fieri potest, vt quisspiam sibi ipse iniuriã inferat. Si enim ita sit illud quod prius dictum est, atque adeo is qui tribuit, non qui plus accipit, facit iniuriam: si quis alteri plus tribuat, quàm sibi sciens & volens (id quod vsuuenit modestis: siquidem vir probus de iure suo decedere solet) is profectò sibi ipse facit, iniuriam. An ne hoc quidem simplex est? plus enim sibi sumit alterius boni, vt gloriæ, si ita res ferat, vel eius quod simpliciter honestum est. Adde quòd solui etiam illud potest per definitionem eius quod est inferre iniuriam. Nihil enim ei accidit contra ipsius voluntatem. Ergo nõ si minùs sumat, idcirco accipiat iniuriam, sed id modò dici potest quod damno afficitur ac læditur. Hoc verò etiam apparet, eum qui diuidit ac dispertit, inferre aliis iniuriam. non eum semper ad quem peruenit quod plus est. Neque enim in quo inest quod iniustum est, is iniuriam facit, sed is qui hoc efficit sua voluntate. Hoc autem est vnde sumit initium actio, quod in eo est qui diuidit, non in eo qui accipit. Præterea

si facere multis modis dicatur, fieri potest, vt & res inanimæ, & manus, & seruus iussu domini interficiant, nec tum faciant iniuriam: cùm interim res iniustas faciant. Præterea si quis imprudens ignarúsve iudicium tulit, non faciat ex iure legitimo iniuriam, nec iniustum sit iudicium: est tamen alio quodam modo iniustum. Aliud enim est ius legitimum, aliud primum. Sin autem sciens & prudens iniustè iudicauit, iniustus habendus, quòd ad eum plus peruenerit vel gratiæ vel vindictæ. Perinde igitur ac si in partem venerit sceleris & iniuriæ, qui etiam his de causis iniquum fert iudicium, plus adipiscitur. Nam qui illis inductus agrum adiudicauit, non agrum accepit, sed argentum. Homines autem in sua potestate esse putant, vt faciant iniuriam: ideóque facile esse, iustum esse: sed non ita est. Nam & cum vicini vxore concumbere, & verberare proximos, & largiri manu argentum, facile est, & in eorum potestate situm: at vero ita animo affectos hæc ipsa præstare omnia, nec facile, nec in eis situm est. Similiterque iusta quæ sunt cognoscere, & quæ iniusta, in nulla parte sapientiæ ponunt: propterea quòd non sint difficilia cognitu quæ leges iubent aut vetant. Sed hæc non sunt in iustis numeranda, nisi ex accidente: verùm ita demum iusta sunt, si quodam modo agantur, certóque quodam modo tribuantur. Quod quidem præstare multò maioris negotij est, quàm quæ salubria sunt, tenere & comprehendere. Nam illic quoque mel, vinum, veratrum, aduſtionem, inciſionem nosse facile est: at ea quemadmodum accommodatè ad sanitatem abhibenda sint, scire, & cui, & quando, tam difficile est, quàm verè medici nomen obtinere. Ob eámque

cauſam iuſti hominis aiunt eſſe nihilominus facere iniuriam: quòd nihilominus iuſtus vir, immò verò magis poſſit horum vnum quodque agere. Etenim & alienam vxorem ſtuprare, & alium verberare poſſe: & fortem, clypeum abiecere, & dato tergo quo libuerit, fuga elabi. At ignauum eſſe, & iniuriam facere non eſt illa quidem facere niſi ex accidente: ſed ſi quis animo certo quodam modo affectus ea faciat. Vt mederi & ſanare, non eſt incidere aut non incidere, potionem dare aut non dare, ſed certo quodam modo hæc ipſa præſtare. Inter eos autem iura locum habent, inter quos eorum quæ ſimpliciter bona ſunt, communio eſt, vt interim locum in iis habeat exuperantia & defectio. Nam quibuſdam, vt certè in diis, non eſt eorum bonorum immoderata copia. Aliis autem, vt inſanabilibus & deprauatis hominibus, nulla ex parte ſunt vſui, ſed obſunt omnia, aliis proſunt aliqua ex parte: ob eámque cauſam humanum appellatur.

Ἐπεὶ καὶ τὸ γε διαπορῆσαι.] Ego verti, alioqui, ídque velim obſeruari ab iis qui huius particulę, ἐπεὶ, vim ac proprietatem non ſatis intellexerunt in hoc authore vertendo: Multis aliis in locis ita reddidi, de quibus ſuo loco obiter mentionem faciam.

Cap. 10.

Sequitur vt de æquitate, æquoque & bono diſſeramus: quam tandem æquitas ad iuſtitiam rationem, quam æquum & bonum ad ius habere videantur. Nam qui hæc volet diligenter exquirere, nec idem eſſe omnino, nec genere diuerſa eſſe videbuntur. Atque interdum quidem æquum & bonum laudamus, & hominem qui eo præditus eſt, laude proſequitur. Vnde etiã ipſum in laude ſolemus interim in aliis rebus pro bono vſurpare: ídque adeò quòd æquius eſt, melius iudicamus. Aliàs iis qui rationem conſectantur,

alienum videatur æquum & bonum, quòd ab eo quod iustum est, diuersum sit, laudabile esse. Aut enim ius virtuti consentaneum non est, aut æquum & bonum si à iure aliud est: aut si amb o sunt virtuti consentanea, idem sunt. Atque ex his quidem omnis nascitur dubitatio, quæ est de æquo & bono. Quæ consentanea sunt omnia quodam modo, nec vlla ex parte inter se pugnant. Nam æquum & bonum, cùm sit aliquo iure melius, tum ius ipsum est: nec iam quasi genus quoddam aliud, iure est præstantius. Idem ergo est ius & æquum & bonum. Etenim cùm ambo virtutis sint, tamen præstat multo æquum & bonum. Sed hoc dubitationem adferet, quòd cùm æquum & bonum ius sit, non tamen ius legitimum est, sed iuris legitimi emendatio. In causa est, quòd lex est generalis omnis, quædam verò sunt de quibus non potest in genere rectè constitui. In quibus ergo est necesse de toto genere dicere, nec id effici rectè potest, id vnum accipit & designat lex: quod plerumque solet contingere, non ignara peccati, & tamen rectè lata est: quippe cùm culpa non sit legis aut legislatoris, sed rerum agendarum naturæ, quæ statim est huiusmodi. Cùm ergo de toto genere lex dicit, atque aliquid in iis rebus contra generalem legis comprehensionem existit, tum percommodè accidit, vt qua parte scriptor legis aliquid prætermisit, ac peccauit generaliter locutus, id quod prætermissum sit, corrigatur. Quod etiam legislator si adesset pronuntiaret, de eóque si præsciuisset, legem tulisset. Itaque est ius illud quidem, & quodam iure præstantius: non eo tamen quòd omnino ac simpliciter ius est, sed eo quòd propter sermonem generalem à perfecto aberat. Atque in

eo vis omnis æqui & boni posita est, vt correctio sit legis qua ex parte in ea aliquid desideratur propter generalem sine exceptione comprehensionem. Cur enim lege non caueantur omnia, hæc etiam causa est, quòd de quibusdam omnino lex fieri non potest. Quocirca decretis populíve scitis opus est. Incertæ enim rei ac infinitæ, incerta semper & infinita quærenda regula est, vt Lesbiæ structuræ plombea norma solet accõmodari. Vt enim pro varia lapidis figura mutatur, nec manet regula: sic rebus vtquæq; interueniunt, accõmodata esse debent decreta. Aciam quidem illud perspicuum est, quid sit equũ & bonum, quídque ius, & quo iure sit præstantius. Ex quo etiam apparet, quis sit æquus & bonus vir. Nam qui consulto & obfirmato animi iudicio hæc sequitur gerítque omnia, qúique non est in malam partem iudex durior, sed de summo iure decedit, etiam si habeat legis præsidium, is æquus & bonus est habẽdus. Et huiusmodi habitus æquitas bonitásque nominatur, quæ eadem iustitia quædam est, non alius animi habitus. Cap. II.

Ex iis quæ dicta sunt perspicuum est, vtrum quis sibi ipse iniuriam facere néne potest. Ea enim iusta sunt habenda, quæ in omni virtute lege sunt constituta. Vt non iubet lex mortem sibi quenquam conscíscere: quæ verò non iubet, ea profectò vetat. Præterea cùm quis contra leges nocet cuipiam non lacessitus, is sponte sua infert iniuriam: hoc verò est sponte facere, si sciat & cui iniuriam faciat, & quomodo. Qui autem ira incitatus se ipse interimit, is sponte contra legem rectam facit, quod lex non permittit. Infert igitur iniuriam. Sed cui tandem? an Reipublicæ, non sibi? quandoquidem sponte sua mortem perfert: nemo

autem sua sponte accipit iniuriam. Quapropter multa etia à Repub. constituta est, & ignominia quædam comparata in eum qui se ipse interfecerit, tanquam violarit Rempub. Jam verò in eo iniuriarum genere, ex quo iniustus modò quis habetur, non omnino improbus, fieri non potest vt sibi quis faciat iniuriam (est enim hoc genus ab illo diuersum: quandoquidem vir iniustus certo quodam genere improbus sit, vt ignauus, ac non vt is qui omni scelere sit contaminatus) in illo inquam iniuriarum genere non facit sibi quispiam iniuriam, alioqui simul eidem & adimeretur idem & adderetur: quod fieri non potest, sed inter plures iuris & iniuriæ necesse est semper esse communionem. Præterea iniuriam facit quisque, cùm & sponte lædit, & consulto, & prior: nam qui ab altero iniuria affectus, par refert, is iniuriam minimè facere videtur. At qui sibi ipse faciat iniuriam, simul eadem & faciat & patiatur. Præterea fieret alicui sua voluntate iniuria. Ad hæc nemo quenquam afficit iniuria, quin illa iniuria vna quodam genere ex iis quæ singulatim appellãtur suo quodam nomine, contineatur. Atqui nemo vxori suæ stuprum inferre dicitur, nemo parietem suum perfodere, nemo sua furari. Postremò, vt rem vno verbo finiam, hoc ipsum sibi aliquem facere iniuriam, dilui ac refelli potest ex ea definitione quæ tradita est de accipienda sponte iniuria. Illud autem etiam perspicuum est, cùm vtraque mala sint, facere scilicet iniuriam & accipere (hoc enim est plus, illud minus obtinere, quàm quod medio continetur: quod est veluti in medicina salubre, in gymnastica id quo bona corporis habitudo continetur) tum verò deterius esse facere iniuriam. Ete-

nim facere iniuriam, cum scelere coniunctum esse, & vitio dandum esse dicebamus: cum scelere inquam vel summo & absoluto, vel ei proximo: neque enim quicquid voluntarium est, omne cum iniustitia coniunctum est. At verò iniuriam accipere, scelere vacat & iniustitia. Est igitur per se leuius malum, iniuriam accipere, quàm inferre: ex accidente nihil prohibet esse grauius. Verùm quod tale est, omne ars negligit. Veluti grauiorem esse morbum pleuritidinem statuit, quàm pedis offensionem, quanquam possit hæc fortuito maior existere. Vt si quempiam acciderit ob pedis offensionem accidisse, & in manus hostium venisse, & interfectum esse. Porrò autem per similitudinem & translationem quendam, ius quoddam esse dicitur, non nobis in nos ipsos, sed aliquarum partium in alias nostri partes: neque id ex omnis iuris similitudine ducitur, sed ex herili aut domestico. His enim ipsis rationibus differt pars animi, quæ rationis est particeps, ab ea quæ expers est. In quæ intuentibus, videbitur posse iniustitia in seipsum locum habere, quòd in iis partibus contra suas appetiones aliquid perferre, vsuuenire potest: quare inter eas, vt inter eam quæ imperet, & eam quæ obtemperet, iuris cuiusdam esse communionem. Ac de iustitia quidem, cæterísque virtutibus, quæ ad mores pertinent, hoc modo explicatum sit.

Aliqui simul eidem & adimeretur idem & adderetur.] Qui hoc modo iniustus est, is vt suprà ostensum est ἀντιπεπονθὼς est: ergo si à se iniuriam pateretur, idem qui plus habet minus haberet.

ARISTOTELIS
Ethicorum liber VI.

ARGVMENTVM.

QVATVOR *hoc libro traduntur. primò de facultatibus animi, deinde de quinque habitibus rationis, tum de prudentiæ partibus, postremò de vtilitate & dignitate prudentiæ ac sapientiæ. Duæ nanque sunt animi facultates, vna rationis particeps, altera rationis expers. Et rationis participes itidem sunt duæ, prior sciendi, qua cognoscimus necessaria, posterior consultandi, qua cognoscimus contingentia. Tria sunt in animo, sensus, mens, appetitus: quorum sensus non est causa actionis humanæ, vt argumento sunt belluæ, quæ sunt illæ quidem sensus, non autem actionis morales capaces. sed mens & appetitus sunt causæ eiusmodi actionis. Intellectus est duplex, contemplans qui in contemplatione veritatis cernitur, agens qui ad agendum refertur. 2. habitus sunt quinque, ars, prudentia, scientia, intelligentia, sapientia: quorum ars & prudentia sunt animi agentis rerúmque fortuitarum. Reliqui sunt animi speculantis rerúmque necessariarũ. Ars est habitus aliquid vera cum ratione efficiendi. Prudentia habitus est vera cum ratione agendi in iis, quæ hominibus bona sunt & mala. Scientia habitus est demonstrationis conclusionum. Intelligentia est habitus certissimáque primorum principiorum notitia. Sapientia est scientia & intelligentia eorum, quæ sunt natura præstantissima qualis est Deus, aliæq; cœlestes intelligentiæ. 3. pars: Tres sunt prudentiæ species, monastica, quæ vnum hominem, œconomica quæ domum & familiam, politica, quæ ciuium multitudinẽ in rebus agendis rectè dirigit. Tres sunt partes integrantes prudentiæ, memoria præteritorum, intelligentia præsentium, prouidentia futurorum. Quibus adduntur docilitas, habilitas disciplinæ ab alio percipiendæ, solertia, prompta medij in rebus agendis inuentio, circumspectio vt negotium debitis suis circunstantiis peragatur, cautio ne mala eueniant, quæ possent reuera vel boni specie accidere. Quatuor sunt veluti virtutes, quæ adiunctæ sunt prudentiæ. Eubulia bona consultatio, quæ de bonis mediis in bonum finem propositum rectè deliberat. Synesis perspicacia, quæ bonum est iudicium secundum legem communem de rebus agendis. Gnome sententia est bonum iudicium secũdum rationem naturalem in his quæ præter legem sunt æquo & bono æstimanda. Prudentia præcipiens quæ rectè deliberata iudicatáque, & decreta præcipit, & in actionem redigi mandat. Ordo prudentis in consultando est, in primis finem bonũ intueri, deinde de mediis legitimis ad eum finem consultare, tum de inuentis rectè iudicare, & si plura sint ex his aptiora, vel aptissimum deligere. Postremò rectè inuenta, iudicatáque præcipere & exequi per se & alios, qui ad susceptum finem assequendum tempore & loco & modo possunt adiuuare. 4. pars. Sapientia & prudentia sunt per se necessariò expetendæ. Nam sunt animi perfectiones, illa quidem speculantis, hæc agentis: sapientia dum habetur & agit, beatum efficit, prudentiáque & virtute morali actio bona perficitur. Siquidem morum virtus finem honestum proponit amplectendum, prudentia rectas vias & rationes elargitur, quæ ad eum bonum finem comparandum postulantur. Quo fit vt nemo queat esse prudens, qui bonus non sit, nec quisquam bonus nisi prudens. Neque enim illud acumen ingenij & solertia, quæ quis agere potest & adipisci quibuscumque medijs etiam malis finem propositum est vera prudentia, sed callliditas & versutia potius nominanda. Nec virtus nobiscum nata ad virtutésque propensio est virtus, sed ea quæ bene agendi consuetudine comparatur, quæq; recta ratione dirigitur, quæ recta ratio est prudentia, cuius vinculo omnes veræ perfectæq; virtutes sunt inter se connexæ, vt qui vnam habeat, possideat omnes. Neque eas ob res prudentia sapientiam antecellit, quoniam sapientia est animi contemplantis qui per se ab aliis annexis sibi facultatibus separatus operatur, in rebúsque necessariis ac diuinis occupatur, sibíque pro fine contemplationem habet propositam. Prudentia verò est animi agentis, qui in agendo facultatibus ratione carentibus vtitur, in rebúsque contingentibus & humanis consistit non solùm vniuersis*

sed magis etiam singulis, quæ in deliberationem cadunt, finémque sibi proponit actionem. Nec prudentia sapientiæ dominatur. Quandoquidem illa huius gratia laborat, vnúmque maximè studet consultando, iudicando? præcipiendo, vt sapientia diuinorum contemplatrix & cultrix in singulis hominibus familia, ciuitate, regnóque semper vigeat, beatéque Deus, quem contemplatur & colit, in cœlo atq; in terra perpetuò adoretur, qui est benedictus & laudabilis in secula.

VONIAM *autem suprà à nobis dictum est, medium tenendum esse, non exuperantiam & defectionem: medium porrò est, vt recta ratio præscribit: de hoc ipso sequitur vt disseramus. Est enim in omnibus quos dixi habitibus, haud secus quàm in aliis, scopus quidam propositus: quem is intuens qui ratione ducitur ad agendum, aut contentionem aut remissionem adhibet: ac terminus quidam est mediocritatum, quas nos inter nimium & parum sitas ex rectæ rationis præscripto dicimus. Quæ vera est illa quidem oratio, sed parum aperta & explicata. Etenim in aliis studiis, in quibus cernitur scientia, hoc verè licet dicere, non plus minúsve laboris, quàm sat sit, suscipiendum esse, nec laborem etiam & industriam remittendam: sed modum in iis tenendum esse, & omnia conuenienter rectæ ratioui facienda. Verùm qui hoc solùm teneat, nihilo sit doctior futurus. Non magis quàm si dum quæruntur quænam corpori alimenta sint exhibenda, aliquis respondeat, ea omnia quæ medicina iubeat, atque is qui sit ea præditus. Quapropter & in habitibus animi non solùm oportet id verè dictum esse, sed explicatum etiam quænam sit recta ratio, & quis eius terminus. Animi igitur virtutes diuisimus, aliásque morum esse diximus, alias rationis cogitationísve. Ac de iis quidem, quæ ad mores pertinent, dis-* Cap. 1.

ſeruimus. Nunc de cæteris dicemus, cùm pauca de animo dixerimus. Suprà dictum eſt duas eſſe partes animi: vnam rationis participem, expertem alteram. Nunc eodem modo pars ea quæ compos eſt rationis, diſtribuenda eſt. Atque nobis illud initio ſubiiciendum, duas eſſe rationis participes. Vnam, qua res contemplamur eas, quarum principia ſecus euenire non poſſunt. Alteram, qua ea quæ poſſunt. Ad ea enim quæ genere differunt, intelligenda, partes animi genere differentes rectè attribuuntur: ſiquidem eis rerum ineſt cognitio ſimilitudine quadam & conuenientia. Appelletur autem altera vis ſciendi: ratiocinandi, colligendique altera: quoniam deliberare & ratiocinari idem valent, nemo verò de iis conſultat, quæ ſecus accidere non poſſunt. Eſt igitur ratiocinandi facultas, vna quædam pars illius partis animi quę rationis particeps dicitur. Videndum ergo eſt, quis tandem ſit vtriuſque optimus habitus: quoniam in eo vtriuſque virtus cernitur. Virtus autem ad ſuum quæque opus officiúmque accommodatur.

Καὶ τέλος πάσ ης ὅρ ε] ὅρος hic non ſignificat ὁρισμὸν, hoc eſt definitionem quid res ſit explicantem, alioqui Ariſt. inani repetitione vteretur. Sed poſtquam dixit explicandum eſſe quæ ſit recta ratio, hoc ſubiicit, explicandum etiam eſſe quis ſit terminus ac modus, quem præſcribit in ſingulis actionibus recta ratio.

Cap. 2. *Sunt autem in animo tria, quæ in actione ac virtute dominantur. Senſus, mens, appetitus: quorum ſenſus nullius eſt initium actionis. Quod ex eo intelligitur, quia bellua ſunt illæ quidem ſenſus participes, actionis non ſunt. Quod autem ſunt in mentis actione affirmatio & negatio, hoc ſunt in appetitu adeptio & fuga. Quare quoniam virtus quæ ad mores pertinet, habitus eſt agendi conſilio conſtans: agendi autem conſilium appetitio eſt, quæ antegreſſa eſt*

deliberatio: necesse est ob eam causam & veram esse rationem, & rectum appetitum: siquidem probum sit agendi institutum, ac eadem quæ ratio iudicarit, appetitionem persequi. Atque illa quidem est mentis actio, & veritas quæ ad actionem pertinet. At verò mentis eius quæ cognitione cernitur, non actione aut effectione, omnis est in falso & vero posita & præstantia & vitiositas. Omnis enim cogitandi facultatis hoc opus proprium est. Illius verò rationis cogitationísve quæ ad agendum pertinet, propria est appetitioni rectæ congruens veritas. Est igitur consilium, agendive propositum, omnis actionis principium, vt ex quo motio nascitur, non vt finis, & id cuius gratia res agitur. Consilij autem principium, appetitio est, atque ea ratio quæ ad finem aliquam pertinet. Quocirca nec sine mente & cogitatione, nec sine appetitione quæ moribus sit confirmata, esse agendi propositum vllo modo potest. Sublatis enim mentis actione & more, rectè factis & contrariis inter actiones humanas nihil loci relinquitur. Nihil autem ipsa mentis actio cogitatióve commouet, nisi ea quæ ad finem spectat, & ad res agendas pertinet. Nam eietiam, quæ in faciendo occupata est, hæc imperat. Alicuius enim gratia faciunt omnes, qui opus aliquod effectum reddere volunt: nec finis in eo statuitur omnino, quod sub effectionem cadit, sed ipsum alio semper refertur, estque semper alicuius, id quod effectum est. At quod sub actionem cadit, non item. Hic enim non alius finis spectatur, quàm ipsa recta actio: appetitio autem est ipsius finis. Quapropter ipsum agendi consilium, aut mens est atque ratio appetens, aut appetitio à mente & ratione profecta. Atque

illud principium eſt, à quo homo maximè eſt homo. Eorùm verò quæ præterita ſunt, omnino nihil conſilio ſuſcipitur. Veluti nemo conſiliũ capit Ilium expugnaſſe. Neque enim quiſquam de præteritis deliberat, ſed de futuris, iiſque adeò quæ fieri poſſunt. Quod autem factum eſt, ac præteriit, non poteſt eſſe non factum. Itaque præclarè hoc Agatho:

Tantùm dei illud eſt negatum numini,
Quæ facta ſunt ſemel, non facta reddere.

Vtriuſque ergo partis ratione vtentis & cognitione proprium opus eſt veritas. Vnde fit, vt quibus habitibus vtraque pars verum maximè enunciat, virtutes ſint vtriuſque habendæ. De quibus repetito altiùs principio diſſeremus.

Nec ſine appetitione quæ ſit moribus confirmata.] In quibuſdam codicibus reperitur ἕξεως, ſed magis cum ſuperioribus conſenit ὀρέξεως, ſi ſpectemus quomodo hæc concluſio ex ſuprà dictis colligitur.

Cap. 3. *Sint igitur quinque numero, quibus animus verum enunciat, vel affirmando vel negando. Ars ſcientia, prudentia, ſapientia, intelligentia. Fieri enim poteſt vel etiam falſum exiſtimatione & opinione dicatur. At ſcientia quidem quid ſit, hinc perſpicuum eſt (ſi accuratè ac ſubtiliter rem exquirere, non conſectari ſimilitudines placet) quòd omnes exiſtimamus, quæ ſcimus, ſecus euenire non poſſe. Quæ autem aliter poſſunt, ea cùm abſunt à contemplatione, & deſierunt animo cerni & conſiderari, ſint, néene ſint, incertum eſt. Quod ergo ſub ſcientiam cadit, id omne neceſſarium eſt & eare æternum. Quæ enim ſunt planè & ſimpliciter neceſſaria, ſunt ſempiterna omnia. Quæ autem æterna ſunt, eadem nec oriri nec interire poſſunt. Præterea ſcientia omnis doceri videtur poſſe, & quicquid ſub ſcientiam cadit, perdiſci. Atqui ex anteceptis animo rei informationi-*

bus (quemadmodum in Analyticis docuimus) omnis doctrina gignitur. Alia enim inductione, alia ratiocinatione comparatur. Ac inductione quidem principia & res uniuersæ colliguntur. Ratiocinatio verò à rebus generalibus & uniuersis progreditur. Sunt ergo principia, ex quibus constat ratiocinatio: quæ eadem concludi ratiocinatione non possunt. Ergo inductione possunt. Est igitur scientia, habitus demonstratiuus, & cetera omnia quæ in Analyticis in definitione adiecimus. Cùm enim assentitur quisque certo quodammodo, habétque penitus cognita principia, tũ scire rem dicitur. Etenim si ea nõ habeat magis cognita quàm conclusionem, incertam ac fortuitam habebit scientiam. Ac de scientia quidem sic dictum sit.

Cap. 4.

Quod autem aliter cadere potest, eius est aliquid quod sub effectionem, & aliquid quod sub actionem cadit. Estque aliud effectio, aliud actio. Quorum probatio etiam ex disputationibus ἐξωτερικοῖς petenda est. Itaque habitus etiam is, qui in agendo cum ratione positus est, ab eo differt, qui ratione adhibita in efficiendo occupatus est: & neuter ab altero continetur. Neque enim actio effectio est, neque effectio est actio. Et quoniam architectura, quædam ars est, nec aliud omnino quàm habitus quidam cum ratione efficiens: neque ars ulla est, quæ non sit habitus in faciendo cum ratione positus: neque habitus huiusmodi ullus, qui ars non sit: efficitur vt ars & habitus cum ratione vera in faciendo positus idem sint. Porrò ars omnis in ortu versatur, idque vnum molitur & spectat, quemadmodum efficiatur quicque eorum quæ & esse & non esse possunt: quorũmque principium situm est in eo qui facit, non in eo quod efficitur.

Non enim tractat ars ea, quæ sunt vel fiunt necessario, nec in iis quæ sunt, secundum naturam versatur. Continẽt enim principium hæc in seipsis. Quoniam autem effectio & actio inter se diuersæ sunt, necesse est autem effectionis esse, non actionis. Quodam etiam modo in eisdem rebus ars & fortuna versatur, vt placet Agathoni.

» Fortuna chara est arti, ars fortunæ quoque.

Est igitur ars, habitus, vt dictum est, aliquid vera cum ratione efficiendi. Inertia contrà, habitus cum ratione falsa faciendi quippiam, quod aliter euenire potest.

Cap. 5. *Prudentia verò quid sit ita intelligemus, si quos nominamus prudentes, cognorimus. Ac prudentes quidem videntur esse, qui rectè consilium in iis capere possint quæ sibi bona atque vtilia sunt, non id quidem in parte aliqua veluti quæ ad valetudinem aut vires, sed omnino ad bene viuendi rationem. Quod ex eo velut signo intelligi potest, quia prudentes in re aliqua dicimus, cùm rationem bene ineunt, quo ad bonum aliquem finem perueniant, in iis quidem quæ arte non efficiuntur. Quocirca prudens omnino erit, qui in consilij capiendi deliberatione plurimum valet. Porrò autem nemo deliberat de iis quæ aliter euenire non possunt, neque de iis quæ à se præstari non possunt. Itaque si scientia omnis demonstratione acquiritur, demõstratio autem ad ea nulla adhibetur, quorum principia secus possunt euenire (ea enim omnia etiam euenire aliter queunt) quæ autem necessariò eueniunt, non cadunt in deliberationem: efficitur vt nec scientia, nec ars possit esse prudentia. Scientia quidem, quia quod subiectum est sub actionem, aliter euenire potest. Ars verò quia alius actioni, alius affectio-*

ni finis eſt propoſitus. Relinquitur ergo, vt ſit habitus ve-rus cum ratione agendi in iis quæ hominibus bona ſunt & mala. Nam effectioni alius eſt quidem propoſitus finis: actioni non item. Eſt enim ipſa honeſta actio, finis. Ob eámque cauſam Periclem cæteróſque tales homines prudentes exiſtimamus, quòd ſuæ aliorúmque vtiliati conſulere poſſunt. Ex hoc porrò genere eſſe & rei familiaris, & Reipub. adminiſtrandæ peritos homines arbitramur Vnde etiam σωφροσωὴ Græco nomine (Latini temperantiam vocant) ſic appellata eſt, ὡς σωζουσαν τὴν φρόνησιν, id eſt, quaſi conſeruatrix prudentiæ. Conſeruat autem hanc ipſam illa animi comprehenſionem. Neque enim omnem animi comprehenſionm labefactat, neque peruertit voluptas aut dolor, vt hanc, Triangulum duobus rectis pares angulos habere, ſed eas duntaxat, quæ in eo quod ſub actionem cadit verſantur. Rerum enim agendarum principia ſunt, ipſi fines, quorum cauſa res aguntur. Cuius autem à voluptate aut dolore corruptus eſt, & deprauatus animus, ei ſtatim principium non apparet, neque ei videntur huius cauſa, & propter hoc expetenda gerendáque omnia. Eſt enim in vitio magna vis ad labefactandum principium. Quapropter neceſſe eſt prudẽtiam habitum eſſe vera cum ratione in bonorum humanorum actione verſantem. Sed eſt arti ſua quædam virtus: prudẽtia non eſt. Et qui in arte ſua ſponte aberrarit, præſtantior eſt, in prudentia minùs, quemadmodum etiam in virtutibus contingit. Perſpicuum eſt igitur virtutem eam eſſe, non artem. Cúmque animi partes duæ ſint rationis participes, erit ipſa prudentia alterius virtus: nempe eius in qua ineſt opinandi facul-

tas. In iis enim quæ secus cadere possunt, opinio versatur & prudentia. Neque verò est tantùm habitus cum ratione coniunctus: idque potest ex eo intelligi, quòd huiusmodi habitus obliuione deletur, prudentia non deletur.

Cap.6. *Quoniam autem scientia, rerum est vniuersarum comprehensio, earúmque quæ sunt necessariæ: quoniámq; principia quædem sunt eorum quæ demonstratione concluduntur, atque adeò omnis scientiæ (ratione enim progreditur omnis scientia) profectò necesse est principium eius rei quæ sub scientiam subiecta est, neq; scientia, neq; arte neque prudentia comprehendi. Nam quod scientia compræhenditur, demonstratione cõcluditur. Illæ verò in iis rebus versantur, quæ aliter euenire possunt. Nec sapientia ergo est quæ in iis principiis cernitur: quandoquidem in nonnullis rebus vtitur sapiens demonstratione. Si ergo scientia, prudentia, sapientia & intelligentia eæ res sunt, quibus verum enunciamus, nec vnquam mentimur, in iis rebus quæ vel possunt, vel non possunt aliter cedere: eorum autem trium nulli principiorum cognitio tribuatur (tria dico, scientiam, sapientiam & prudentiã) relinquitur vt principium intelligentia sit.*

Cap.7. *Sapientiam verò in ipsis quidem artibus, iis tribuere solemus; qui in quaque arte excellunt maximè. Vt Phidiam sapientem, lapidum sculptorem, & Polycletum statuarium sapientem nominamus. In quo sapientiæ nomine nihil aliud significamus, quàm artis virtutem & excellentiam. Verùm quosdam omnino sapientes esse existimamus, non aliqua ex parte, nec altqua alia in re sapientes, vt loquitur Homerus in Margite,*

A diis nec fossor factus nec durus arator;

Nec re alia ſapiens.

Quapropter perſpicuum eſt omnium ſcientiarum accuratiſſimam ac certiſſimam eſſe ſapientiam. Ergo ſapientis eſt non ſolùm ea intelligere quæ ex principiis concluduntur, ſed etiam principiorum veritatem exquirere, ac de iis verè loqui: vt ſit ſapientia, intelligentia & ſcientia: atque adeò ſcientia quæ velut capitis locum obtinens, in iis verſatur quæ ſunt in rerum natura præſtantiſſima. Abſurda enim ſit illius ſententia, qui ciuilem ſcientiam, aut prudentiam omnium optimam eſſe exiſtimet: niſi homo dicatur res præſtantiſſima omnium quæ in mundo ſunt. Quòd ſi ſalubre & bonum hominibus aliud eſt atque piſcibus: album autem & rectum idem eſt ſemper: certè omnes idem ſemper eſſe conſtituent, quod ſapientis nomine appellatur: quod verò prudentis nomine dicitur, aliud atque aliud. Quicquid enim eſt quod rectè rebus rationibúſque ſuis conſulit, & ſingula quæ ad ſe pertinent, rectà proſpicit, id omnes prudentis nomine appellant: ac prudenti hæc vna datur velut prouincia, vt illa ipſa rectè proſpiciat. Idcirco belluas etiam quaſdam prudentes eſſe dicunt: eas ſcilicet omnes quæ videntur vi quadam præditæ ea prouidendi, quæ ad ſuam vitam tuendam pertinent. Ciuilem igitur ſcientiam non eſſe idem quod ſapientiam perſpicuum eſt. Nam ſi eam ſapientiam ſtatuant, quæ ſuis cuiuſque emolumentis vtilitatibúſque ſeruiat, multæ ſunt futuræ ſapientiæ. Neque enim vna eadémque in commodis procurandis occupata eſt omnium animantium, ſed alia atque alia in vnoquoque genere. Niſi fortè vna etiam medicina ſit omnium rerum. Neque verò quòd homo præſtantiſſimum eſſe omnium ani-

malium dicatur, quicquam intereſt. Sunt enim homine alia multò diuiniora naturâ: quo in genere ſunt ea quæ maximè collucent, ex quibus conſtat mundus. Ex iis ergo quæ dicta ſunt, apparet ſapientiam eſſe & ſcientiam & intelligentiam eorum quæ ſunt naturâ præſtantiſſima. Quocirca Anaxagoram, Faletem cæteróſque tales ſapientes nominant, prudentes non item: cùm eos cernant quæ ipſis vtilia ſunt ignorare. Quos eoſdem tenere ac ſcire aiunt res ſingulares & eximias illas quidem & admirabiles & arduas & diuinas, ſed inutiles, quòd ea non quærant quæ hominibus bona ſunt. At prudentia in bonis humanis occupata eſt, iiſque omnibus quæ in deliberationem cadunt. Prudentis enim maximè propriũ munus eſſe dicimus bene deliberare. De iis autem nemo deliberat, quæ ſecus cadere non poſſunt: neque de iis quæ ad finem aliquem non referuntur, atque hunc bonum quoddam quod ſub actionẽ cadat. Omnino autem ac ſimpliciter is conſultus homo eſt, qui ratione poteſt, quod homini in rebus agendis ſit optimum, exquirere. Neq; verò in vniuerſis modò rebus prudentia verſatur, ſed notæ etiam eſſe debent res ſingulæ: quippe cùm in agendo poſita ſit. In rebus autem ſingulis omnis actio conſiſtit. Vnde etiam fit, vt ad res agendas nõnulli ſint inſcij, ſcientibus inſtructiores: vt cæteris etiam in rebus vſuperiti. Nam qui ſciat carnes leues eſſe ad concoquendum faciles & ſalubres, is ſi quæ ſint leues ignoret, nunquam bonam valetudinem efficit: ſed is potius qui auium carnes leues eſſe & ſalubres intelligat. Eſt autem in agendo ſita prudentia. Vtraque igitur habenda cognitio eſt, aut hæc potiùs. Eſt verò & hîc quoque quædam quaſi architectonice, hoc eſt, princeps quædam

cientia & veluti dominatum ac principatum obtinens.

Quicquid enim est quod rectè rebus rationibúsque suis consulat.] Doctorum hic omnium iudicium appello, num loci veram ac germanam reddidi sententiam: quam non satis videntur alij assecuti. porrò verba græca sit legenda sunt, ὃ γὰρ ἂν τὸ ἐπιστῆσαι ἐν βουλεύσει. quæ habent illam sententiam quam expressi.

Sunt autem ciuilis scientia, & prudentia idem habitus: Cap. 8.
iis tamen non est eadem essentia. Eius verò quæ in publicis rebus versatur, una pars quæ quasi architectonice prudentia est, legum ferendarum facultas dicitur, altera quæ in singulis rebus versatur, commune ciuilis scientiæ nomen obtinet: cuius omne opus est in agendo & consultando. Nam quæ publicè statuuntur decreta quasi extremæ res quædam, in rebus agendis numerantur. Itaque hos aiunt solos administrare Rempub. quòd quasi operarij, soli rem gerant. Videtur autem etiam ea potissimùm esse prudentia, quasi vni sibi quisque, rebúsque suis consulit. Atque illa iam commune nomen prudentiæ obtinuit. Aliarum autem una est, quæ ratio rei familiaris, alia quæ legum ferendarum facultas, alia ciuilis facultas, dicitur. Atque huius alia pars ad deliberationes, alia ad iudicia pertinet. Ac genus quidem cognitionis in eo quoddam est, vt sibi rebúsq; suis sciat quisque consulere. Verùm huius multæ sunt differentiæ. Ac videtur sanè is demum prudens qui sibi sapit, ac rebus rationibúsque suis prospicit, in iísque curandis occupatus est. Qui verò in Republica versantur, πολυπράγμονες, id est negotiosi & curiosi dicuntur. Vnde Euripides,

Qui namque pudens sim? licebat cui procul
Negotiis remoto, sic numerarier
In militum turba rei, qua sortem parem
Vt obtinerem vel cum sapientissimo?

Et illud,

Nam curiosos atque agentes plurima
Odere diui.

Consulunt enim omnes suæ quisque vtilitati: idque se vnũ agere putant oportere. Qua ex opinione natum est illud de prudentibus. Quanquam suis rebus quisque consulere, sublata rei familiaris disciplina & Reip. fortasse non possit. Iam verò sua cuique res quemadmodum administrãda sit, incertum est: idque cuique est etiam atq; etiam considerandum. Cui rei hoc satis signi est, quòd & geometræ, adeóque mathematici adolescentes fiunt, rerúmq; huiusmodi sapientiam consequũtur, prudentes non fiũt. Hoc causæ est, quòd in rebus singulis prudentia cernitur, quarum cognitio vsu comparatur & experientia. At vsu peritus non est adolescens: facit enim diuturnitas temporis experientiam. Nam & hoc quærat aliquis, quid sit causæ cur puer mathematicus effici potest, sapiens vel physicus non potest? An quòd illa abstractione constant, horum verò ab experientia principia oriuntur? Et quòd hæc non quasi sibi certa credunt, sed quasi historiam recitant adolescentes, illorum non sunt obscuræ definitiones. Præterea in consultando peccatur vel in rebus singulis, vel vniuersis. Aut enim omnes aquas graues, insalubres esse nesciunt, aut hanc vel illam, grauem esse. Prudentiam autem non esse scientiam hinc perspici potest, quòd hæc rerum, vt dixi, extremarum est. Quod enim subactionem cadit, ex eo genere est. Itaque locum ex aduerso intelligentiæ sibi desumpsit. Intelligentia enim est rerum extremarum, quarum nulla est probatio: hæc verò rerum extremarum est, quarum non est scientia, sed sensus:

non is quidem in rebus ſuis ac propriis verſatur, ſed is quo triangulum ſentimus in mathematicis eſſe in extremo: quoniam illic quoque conſiſtitur. Sed tamen in hoc ſenſus potiùs cernitur, quàm prudentia: illius, aliud genus eſt.

Et illud, Nam curioſos] τοὺς γὰρ περιέργους καὶ τὸ περίεργον πλέον, hic verſus cur ſit ab Argyropylo omiſſus, neſcio: hoc ego affirmo aut alterius eſſe poëtę, aut ſi eiuſdem eſt Euripidis, non eſſe ex eodem loco deſumptum. Nam ſuperiorum verſuum tertius totus non eſt ab Ariſt. citatus, vt ex Plutarcho apparet in opuſculo περὶ τοῦ ἀνεπιφθόνως ἑαυτὸν ἐπαινεῖν, quo in loco tertius verſus integer ſic legitur, ἴσον μετασχεῖν τῶν σφοτάτῳ τύχης, ſed Ariſt. quaſi notiſſimos verſus totos citare non curauit, vt etiam in hoc verſu ad perfectam ſententiam addendum eſt, id quod Ariſt. ſupreſſit, & ab Euſtratio ſuppletur ἐνὶ μέσῳσιν. Ego igitur, vt perfectā ſententiam redderem, adieci quæ ab Ariſt ſuppreſſa erant: & vt ſignificarem aut diuerſos auctores, aut aliunde ab eodem, auctore deſumptos verſus, addidi illa verba, Et illud.

Diſcrepat autem à deliberando quærere: quoniam quiſquis deliberat. Verùm de εὐβουλία, *hoc eſt bona deliberatione, & bene ineundi conſilij ratione intelligendum eſt, quidnam ſit. Vtrùm ſcientia aliqua, an opinio, an bona coniectura, an aliud aliquod genus. At ſcientiam quidem non eſſe hinc perſpici poteſt, quòd homines de iis non quærunt, quæ ſciunt. At bona deliberatio, quædam eſt deliberatio: & quiſquis deliberat, quærit ac ratiocinatur. Nec verò recta coniectura eſſe poteſt: quoniam recta coniectura fit & celeriter & ſine ratione. Ad deliberandum autem multum temporis ſumitur: atque adeò celeriter aiunt eſſe agenda quæ deliberauimus, lentè deliberandum. Iam aliud ſagacitas eſt, aliud bona deliberatio. Nam ſagacitas eſt recta quædam coniectura. Neque ergo opinio eſt bona deliberatio. Sed quoniam qui malè deliberat, peccat: qui verò bene, idem rectè deliberat, perſpicuum eſt bonam deliberationem eſſe rectum quiddam: non ſcientiæ tamen neque opinionis. Nam in ſcientia non ſpectatur quid* Cap. 9.

rectum, cùm ne prauum quidem. Et opinionis rectitudo, veritas est. Præterea iam definitum est & decretum, id omne de quo est opinio. At sine ratione ac velut subductione, non est bona deliberatio. Quo fit vt cogitatione sit inferior: nondum enim est enuntiatio. Etenim opinio non quæstio est, sed iam pronuntiatum aliquod. Qui autem deliberat, siue bene, siue malè id faciat, is quærit aliquid & ratiocinatur: sed bona deliberatio, est rectitudo quædam deliberationis. Quocirca primùm quærendum est quid sit deliberatio, & qua in re versetur. Quoniam autem rectitudo multifariam dicitur, perspicuum est, bonam deliberationem non esse id omne quod rectum sit. Nam impotentes & improbi homines quod sibi suaue & iucundum proposuerunt, ratiocinatione consequi possunt: quare rectè eos consilium cepisse verum est: sed magnum tamen aliquod malum acceperunt. Atqui in bonis bene deliberasse numeratur. Talis igitur deliberationis rectitudo, bona deliberatio est, quæ scilicet ad bonum aliquod pertinet. At potest illud ipsum quod bonum est, falsa ratione collectum obtineri: atque ad id quod faciendum sit, non qua ratione æquum est, sed falsa via media peruenire. Bona igitur deliberatio esse nullo modo potest, qua ad id quidem peruenitur quod oportet, sed non qua ratione oportet. Præterea accidere potest, vt alius deliberandi longo tempore adhibito, id quod velit consequatur, alius celeriter eodem perueniat. Quare nondum erit illa quam dixi bona deliberatio: sed recta via & ratio deliberandi, quæ ad id quod vtile sit, idque adeò quod oportet spectans, eò perducit, & quomodo, & quanto tempore oportet. Iam verò licet & sim-

pliciter bene deliberare, & ad hunc vel illum finem. Ac simpliciter quidem & genere ipso erit bona deliberatio, quæ ad finem omnino ac simpliciter bonum dirigitur: quæ autem ad finem certum quendam spectat, ea quod ad illud quidem attinet, bona: at non simpliciter bona deliberatio erit dicenda. Quòd si prudentis est, bona consilia inire, bona deliberatio sit necesse est recta via & ratio, quæ singulis in rebus quid utile sit, spectans, ad eum finem perducit, cuius sit vera existimatio in prudentia.

Nam impotentes & improbi homines quod sibi suaue & iucundum proposuerunt.] In Græcis codicibus legitur ὁ προπόθησαν ἡδύ. At ego vel repugnantibus omnibus quæ mihi videre contigit exemplaribus, contendo legendum esse, ὁ προπόθετον ἡδὺ. atque ita interpretatus sum: meámque opinor docti omnes sententiam probabunt, si attentius hunc locum considerauerint.

Est autem perspicacia & habitudo, ex quibus per- Cap. 10.
caces & habetes nominantur. Nec omnino idem perspicacia est, quod scientia vel opinio (omnes enim perspicaces essent) nec vna aliqua singularum scientiarum: vt nec medicina. In rebus enim salubribus versaretur, nec geometria, quæ magnitudines tractat. Neque enim in rebus cernitur perspicacia quæ æternæ sunt & immutabiles: ne in iis quidem quæ quomodocunque gignuntur: sed in iis quæ dubiæ & incertæ alicui, dignæque deliberatione esse videantur. Quocirca in iisdem rebus, quibus prudentia versatur. Non tamen idem est perspicacia quod prudentia. Præcipit enim prudentia: quippe cùm finis eius sit, præscribere quid agere aut non agere oporteat. Ac perspicacia in iudicando tantùm posita est. Nam Græcis idem valet εὐβουλία & εὐβουλία, hoc est, perspicacitate nomine tantundem dicimus, quàm cùm appellamus

verám rectámque perſpicientiam: non & ςωετοὶ & εὐςωετοὶ pro eodem accipiuntur, hoc eſt perſpicaces, & præſtantes perſpicacitate. Nec verò eſſe perſpicacem, eſt eſſe prudentem, aut acquirere prudentiam, ſed vt omnes qui diſcunt, tum perſpicere aliquid dicuntur, cùm ſcientia vtuntur: ſic cùm adhibetur opinio & ſententia ad ea iudicanda quæ prudentiæ ſubiecta ſunt, alio loquente: adeóque ad præclarè iudicandum (quoniam bene & præclarè idem valent) tum illud idem verbum perſpiciendi vſurpatur. Hinc natum eſt nomen τῆς ςωίσεως, id eſt perſpicaciæ, ex qua perſpicaces nominantur, & perſpicientes ex ea quæ in diſcendo conſiſtit. Sæpe enim τὸ μανθάνειν ςωιέναι, id eſt, diſcendi pro intelligendi ac perſpiciendi verbo vtimur.

Cap. II. *Quæ autem γνώμη, hoc eſt, ſententia vocatur, ex qua εὐγνώμονες, id eſt, bene ſentientes & ſententia præditi appellantur: eſt rectum iudicium æqui & boni viri, & rei hoc indicium eſt, quòd virum probum συγγνωμονικὸν, hoc eſt, ad ignoſcendum propenſum facilémque dicimus: ipſámque probitatem æquúmve & bonum nihil aliud eſſe, quàm in quibuſdam συγγνώμιον ἔχειν, id eſt, veniam dare & ignoſcere. Atqui συγγνώμη, id eſt venia, recta eſt in iudicando eo quod æquum ſit, & bonum: γνώμη, id eſt, ſententia. Sed ea demum recta eſt, quæ vera. Omnes porrò hi habitus non immeritò eodem pertinent & contendunt. Nam cùm & ſententiam, & perſpicaciam, & prudentiam, & intelligentiam iiſdem attribuimus, tum eos & ſententiæ valere facultate, ac mente & intelligentia, prudentes & perſpicaces eſſe dicimus. Omnes enim*

hæ facultates rerum extremarum sunt & singularium. Atque ex eo quidem, quòd quis aptus est ad iudicandum de iis in quibus cernitur prudens, perspicax vocatur, & εὐγνώμων ἢ συγγνώμων, hoc est, bene sentiens aut ignoscens, & ad veniam dandam procliuis. Commune enim est omnium bonorum æquum & bonum, qua quidem ratione alienæ vtilitatis procuratio spectatur. Res autem agendæ sunt in singulis rebus extremísque omnium, quæ debent esse prudenti cognitæ. In iísque quæ sub actionem cadunt, & perspicientia & sententia cernitur: quæ eadem extrema sunt, & intelligentia extremorum est vtrinque. Etenim primorum terminorum, quíque principiorum locum obtinent & rerum extremarum, est intelligentia non ratio. Atque illa quidem intelligentia quæ ad demonstrationes accommodatur, eorum est terminorum qui & primi sunt & immutabiles. Altera autem quæ ad res agendas pertinet, est rei extremæ, & quæ potest aliter euenire, atque in enunciationis alio genere cernitur. Sunt enim hæc principia illius cognitionis, quæ est ipsius finis. A rerum enim singularum cognitione, vniuersarum cognitio ducitur. Illarum igitur sensus est habendus, qui idem est intelligentia. Quapropter hæc etiam nobis videntur insita naturâ. Cúmque sit sapiens nemo naturâ, tamen inesse naturâ hominibus & sententiam, & perspicaciam, & intelligentiam, hinc potest intelligi, quòd has facultates sequi ætates & cum ætate accedere arbitramur, cùm scilicet ita loquimur, hæc iam ætas valet mente & intelligentia: hæc ætas iam bene sentit quasi natura sit eorum causa. Itaque & principium est intelligentia & finis. Ex iis enim oriuntur demonstra-

riones, de iisque conficiuntur. Quare non secus debent omnes vsuperitorum maiorúmque natu, aut prudentum fidem habere & animum applicare pronunciatis ac sententiis, iis etiam quibus probandis nulla subiicitur ratio, quàm iis quæ sunt demonstratione concluſæ. Nam quoniam vsu & experientia quasi aspectum quendam sunt adepti, facilè principia cernunt. Ac sapientia quidem quid sit, quídque prudentia, quibúsque in rebus versentur: & vtranque in alia atque alia parte animi sitam esse dictum sit.

Et intelligentia vtrinque extremorum est, &c.] Est & alius similis locus cap. 8. ex quibus duobus locis intelligi potest quid sibi velit Arist. cap. 3. lib. 1. de Demonstratione, vbi ita scribit. καὶ ὃ μόνον ἐπιστήμην, ἀλλὰ καὶ ἀρχὴν ἐπιστήμης εἶναι πᾶσι τοῖς ὅροις γνωρίζομεν, quem hoc locum ita interpretatus sum, vt illic idem dicat Arist. quod hic, nempe intellegentiã esse qua extrema cuiusque sciẽtię, hoc est prima principia cognoscimus. Errant ergo qui existimãt Arist. illic velle principia ex cognitione terminorum, id est verborum ex quibus constant intelligi: quæ est vulgò recepta illius loci interpretatio: falsa tamen. Nã cùm intelligentiam velit Arist. esse habitum principiorum, illum habitum dicit multis in locis comparari partim sensu, partim inductione, partim experientia: nusquam cognitionem significationis verborum, ex quibus prima principia constant, vnam esse rationem, dicit cognoscendi principia. Hæc à me scribuntur, quia audio meam illius loci interpretationem à quibusdam esse reprehensam.

Cap. 12. *Sed de iis quærat aliquis, quam tandem vtilitatem habeant? Nam sapientia nulla in re versatur earum quæ hominem possunt beatum efficere, cùm præsertim nulla in re quæ eorum agnoscat, versetur. At in prudentia illud quidem inesse verum est, sed quam tandem ad rem ea sit opus? Siquidem res tractat prudentia iustas & honestas, quæque homini bonæ sunt: quas gerere eius est qui iam bonus vir sit. Nunc verò nihilo ad agendum aptiores paratioréque venimus, cùm eas tenemus ac scimus: siquidem virtutes sint habitus, vt nec si cognoscamus res salubres, & quæ ad firmam corporis constitutionem valent, non eas quidem quæ quòd sint sanitatis & bonæ habitudinis efficientia*

ita dicitur, sed quæ in habitu cernuntur. Neque enim præditi & instructi medicina & gymnastice, ad agendum sumus paratiores, hoc est, nihilo propterea sumus meliore corporis aut valetudine aut habitudine. Quòd si non ob has causas prudentia requiratur, sed vt boni efficiamur, profectò vsus illius iis quidem qui iam virtute præditi sunt, nullus est futurus. Atqui ne iis quidem, qui non sunt præditi, desideranda videtur: quoniam nihil intererit, ipsíne eam habeant, an aliis qui ea sint præditi, obtemperent. Hoc enim satis sit nobis, non secus, quàm in curanda valetudine. Neque enim medicinam discimus ipsi cùm valere volumus. At hæc absurdum sit, cùm sapientia sit melior ac præstantior prudentia, eam tamen quoddam habere maius illa imperium. Nam quæ operi manum admouet, illa imperat præscribítque omnia. Quibus argumentis nobis occurrendum est: adhuc enim de iis solùm dubitantes disputauimus. Ac primùm quidem hoc diximus, quia vtraq; virtus est vtriusque partis animi, eas necessariò esse propter se expetendas, etiam si neutra quicquam efficiat. Deinde efficiunt illæ quidem, non vt medicina sanitatem, sed vt sanitas, ea quæ sunt bonæ constitutionis corporis propria, sic efficit beatitudinem sapientia. Quoniam enim vniuersæ pars est virtutis, possessione vsúque efficit beatam. Præterea prudentia, & ea virtus, quæ in moribus consistit, officium reddunt omni ex parte absolutum. Propositum enim virtus rectum efficit: ea que ad illud ipsum propositum spectant, prudentia. Quartæ autem parti animi, cui inest vis alendi, nulla talis virtus attributa est: cùm presertim agamus, vel non agamus, non sit in ea situm. De eo autem quod obiectum

est, nos nulla ex parte ad res honestas & iustas agendas paratiores fieri prudentia: paulò altius repetendum videtur, sumpto inde initio. Vt enim aliquos dicimus nondum iustos esse qui res iustas faciant, quales ij sunt qui quod leges iubent, vel inuiti faciunt, vel per imprudentiam, vel propter aliud quid vis, non propter se, etiam si ea agant quidem quæ agenda sunt, & quæ agere eũ oporteat qui sit virtute præditus: sic contrà (vt par est) fieri potest vt quis ita animo affectus agat singula, vt planè bonus sit censendus: nempe si agat cõsilio adhibito, eorúmque causa quæ agãtur. Ac consilio quidem agendi, virtus rectum afficit, quod autem illius causa agi solet, hoc iam in virtute non est, sed in alia vi, & facultate positum. De quibus singulis attentè perquisitis disserendum nobis est apertiùs. Est igitur facultas quædam, quam ingenij acumen & solertiam vocant: quæ eiusmodi est, ea vt agere possit & adipisci, quæ ad propositum scopum pertinent. Ac si scopus quidem honestus est, laudanda: sin malus, calliditas versutiáque est nominanda. Itaque prudentes, eosdem cautos, callidos, versutósque dicimus. Neque verò hæc vis idem valet quod prudentia, tametsi sine illa vi esse nullo modo possit. Habitus autem huic quasi oculo animi innascitur, nõ sine virtute, vt diximus: idque hinc perspici potest, quod rerum, quæ sub actionem cadunt; principium ratiocinationes continent: talem scilicet finem, & id quod est optimum, quale id cunque sit (sit enim verbi causa quod occurrerit) talis autem finis, nisi ei qui sit virtute præditus, apparet nemini. Peruertit enim iudicium vitiositas: principiorúmque inducit errorem eorũ vnde actiones & officia proficiscuntur. Ex quo perspicuum

eſt, non poſſe quemquam prudentem eſſe, qui bonus non ſit.

Quod rerum quæ ſub actionem cadunt principia ratiocinationes continet : talem ſcilicet finem.]Huius loci hic eſt ſenſus, quem non videntur ſatis aſſecuti alij interpretes. Vult Ariſt. oſtendere, non poſſe prudentiam eſſe ſine virtute hoc modo. Tota vis prudentiæ eſt in ratiocinando de rebus agendis. Atqui non poſſunt ratiocinationes fieri ſine principiis. Ergo neceſſe eſt ratiocinationes prudentis hominis continere rerum agendarum principium. Porrò huiuſmodi principium eſt talis quidam finis, ídque adeò quod eſt optimum. At ſibi talem finem proponere qui optimus ſit nemo poteſt, niſi qui ſit virtute præditus. Neceſſe igitur eſt virtute præditum eſſe eum, qui probè ſit ratiocinaturus de rebus agendis : quod eſt prudentem eſſe.

Quocirca hîc rurſum de virtute nobis conſiderandum Cap 13.
eſt. Quandoquidem quam habet rationem prudentia ad ingenij acumen & ſolertiam, cui ſimilis eſt, non eadem: habet eandem vera virtus & quæ propriè ſic dicitur ad eam virtutem quæ innata eſt nobis. Omnibus enim à natura videntur quodammodo tributi cuiuſque generis mores. Natura enim & iuſti, & temperantes, & fortes gignimur : reliquarúmque virtutum principia & ſemina ſimul atque in lucem æditi ſumus, continemus in nobis. Sed tamen aliud quoddam genus quærimus, quo quis propriè bonus eſſe dicitur : & quæ ex eo genere ſunt, aliter ineſſe. Nam & pueris & belluis à natura tributi ſunt habitus, qui ſine intelligentia & ratione obeſſe videntur. Veruntamen eatenus valere aſpectu videntur, quòd quemadmodum robuſto corpori contingit, vt ſi moueatur abſque oculorum ſenſu, grauiter offendat hoc ipſo, quod caret aſpectu : ſic res hîc ſe habet. Quòd ſi intelligentiæ ſplendor acceſſerit, iam agendo magnopere excellit : habitúſque prioris illius ſimilitudinem referens, tum denique virtutis nomen propriè, veréq; obtinebit. Quocirca quemadmodum duæ ſunt ſpecies quæ inſunt in ea animi parte, in qua ſedes eſt opinionis, ſolertia & pru-

dentia: sic duæ sunt in ea quæ sedes est morum, virtus ingenita, & vera virtus: quarum quæ propriè virtus vocatur, esse sine prudentia nullo modo potest. Itaq; omnes virtutes prudentias appellant. In quo Socrates partim rectè quærebat, partim errabat. Nam quòd virtutes omnes prudentias putauit esse, errauit: quòd autem eas non sine prudentia esse censuit, præclarè dixit. Quòd ex eo velut signo intelligi potest, quia nunc omnes qui virtutem definiunt, cùm habitum eam esse dixerunt, & in quibus cernatur, tum adiungunt, qui rectæ rationi sit consentaneus. Atqui ea demum recta ratio est, quæ prudentiæ congruit. Ergo hoc omnes quodammodo diuinare & augurari videntur, habitum eum virtutem esse qui prudentia dirigatur. Sed tamen parua facienda mutatio est. Neque enim solùm virtus est habitus, qui secundum rectam rationem sit, sed qui est cum recta ratione. Recta autem in huiusmodi rebus ratio prudentia est. Socrates ergo virtutes omnes, rationes esse putabat: vt qui omnes scientias esse affirmaret. Nos eas non rationes, sed cum ratione esse dicimus. Perspicuum igitur est, ex iis quæ dicta sunt, nec quenquam verè ac propriè probum hominem esse posse absque prudentia, nec quemquam prudentem absque virtute morali. Sed hinc etiam dilui ac dissolui potest ratio, quam quis adferre disputando possit, dicens seiungi ac separari virtutes posse. Neque enim idem est ad omnes accipiendas aptissimus: quare hanc iam, illam nondum erit assecutus. Nam in iis quidem virtutibus quæ naturales sunt, hoc potest vsuuenire: in iis autem, ex quibus verè ac simpliciter vir bonus nominatur, non potest. Etenim si prudentia vna adsit, iam continuò vnà cum ea omnes aderunt. Il-

lud quoque planum est, etiam si in actione non cerneretur, ad agendúmque non adhiberetur, eam tamen desiderandam esse hoc ipso, quòd partis animi virtus est: & quod sine prudentia atque virtute propositum rectum esse non possit. Nam & hæc vt finem, & illa vt ea quæ ad finem spectant, agamus, efficit. Nec verò imperium habet in sapientiam, nec partus est melioris: quemadmodum nec medicina sanitati dominatur. Non enim ea vtitur quidem, sed vt in ciuitate adsit, prouidet. Ita illius causa imperat, non illi. Iam simile hoc est, vt si quis ciuilem scientiam imperare dicat diis, quòd de iis præcipiat omnibus, quæ ad Rempublicam pertinent.

ARISTOTELIS Ethicorum liber VII.

ARGVMENTVM.

HOc libro dicendum est primùm de heroica virtute, deinde de continentia, tum de voluptate. Heroica virtus est diuina virtus, omnes humanas virtutes perfectione ac dignitate superans, hac qui sunt præditi heroas, & diuinos & deo simillimos appellamus: vtpote qui non tam ex mortali quàm ex deo sunt prognati. Heroica virtus non differt ab humanis virtutibus præterquam sola excellentia. Quamobrem tot sunt species heroicarum virtutum, quot sunt humanarum. Est enim heroica fortitudo temperantia, castitas, iustitia, sapientia. Heroici viri apud Homerum sunt Hector & Achilles, apud Christianos quàm plurimi quos in litaniis veneramur, de quibus dictum est, Ego dixi, dij estis, & filij excelsi omnes. Huic optimæ virtuti vitium pessimum aduersatur, quod belluina feritas & immanitas nominatur. Feritas namque est vitium immane, omnia vitia humana turpitudinis magnitudine superans. Hoc progignitur ex malitia, ex viuendi inter barbaros consuetudine, ex morbo, ex naturali corporis constitutione. Quorum modorum primus conuenit ei qui est omnium improbissimorum improbissimus, qualis fuisse dicitur Nero, & illi quos D. Paulus ait fuisse traditos in reprobum sensum. 2. Continentia est affectio qua quis rationi parens delectationes tactus, & gustatus, quæ in eo vehementes existunt, superat, à quibus plerique superantur. Differt à temperante. Siquidem temperans ita voluptatum motus edomuit, vt quasi nullos aut leues persentiat. Continens incitatos voluptatum motus experitur, quos tamen ratione vincit. Constans est qui tactus superat dolores, à quibus non pauci vincuntur. Incontinens est, qui quidem tactus & gustus voluptatibus resistit, sed tamen ab iis superatur, quas plerique superant. Mollis qui à tactus doloribus vincitur, quas plerique vincunt. Incontinens distinguitur ab intemperante, quoniam ille resistit voluptatibus, à quibus tamen vincitur: hic autem

eas vltro & cum electione consectatur. 3. Aliis de voluptate opinionibus confirmatis, & aliis improbatis declarat duplices voluptates animi, quae ex actionibus honestis proficiscuntur quaeq; sunt adiunctae fœlicitati. Corporis, quae si honestae sunt, cadunt etiam in fœlicem virum. Nulla autem res eadem nos semper delectat: nam quoniam ex animo & corpore sumus compositi, id quo oblectatur animus, plerumque est corpori molestum: & contrà id quod iucundum corpori, est molestum animo. Quando animus & corpus aequè delectantur aliqua re, illud ferè accidit, vt dum agitur, neque iucunda sit neque molesta. Quòd si quis sit natura simplici donatus, semper ex actione sua honesta iucundissimam persentit voluptatem; Vt deus opt. max. dum in seipsum conuertitur, séque ipsum intelligit ac contemplatur.

HIS *expositis, aliud faciamus dicendi initium. Eorum quae in moribus fugienda sunt, tria esse genera, vitiositatem, impotentiam, & feritatem: quorum perspicuum est, quae sint duorum contraria: alterum enim virtutem, alterum vocamus continentiam. Immanitati autem ac feritati licet eam virtutem ponere contrariam, maximè quae supra nos est: quae eadem heroica ac diuina virtus dicitur: vt Homerus Priamum de Hectore loquentem inducit, quoniam excellenti virtute esset.*

Non hic mortali est, sed diuûm semine natus.

Itaque si, vt aiunt, ex hominibus propter excellentiam praestantiamque virtutis, efficiuntur dij, profectò ea potissimum erit animi affectio quae feritati contraria est. Etenim vt bestiarum nullum vitium est, nullaque virtus, sic nec dei: sed in hoc quippiam virtute praestabilius, illarum aliud quoddam genus à vitio. Et quoniam rarò contingit, vt aliquis homo sit diuinus, quemadmodum Lacones solent appellare hominem diuinum eum, cuius excellentem virtutem admirantur: sic in specie humana rarò aliquis summa quadam feritate praeditus cernitur. Sed id maximè inter Barbaros existit: in nonnullis etiam ex morbis & membrorum de-

bilitationibus oritur. Eos etiam homines qui alios vitiis flagitiisque superant, hac infamia notamus. Sed de hac quidem animi affectione postea mentionem aliquam faciemus: de vitiositate suprà diximus. hic locus postulat, vt de incontinentia & mollitie & luxu dicamus: itémque de continentia & constantia. Neque enim de iis vt de habitibus, qui idem sint quod virtus atque vitium, neque vt de genere differentibus exstimare debemus. Verùm oportet, quemadmodum in aliis facimus, ita hîc primùm adferre ea quæ iis habitibus conuenire perspiciuntur, & in vtramque partem disputare, tum deinde ad docendum venire: ea præsertim omnia quæ de iis animi affectibus probabilia feruntur: aut certè plurima, & quæ præcipua sunt. Nam si ea dissoluantur quæ difficultatem habent, & relinquantur probabilia, satis erit à nobis explicatum. Ac illud quidem primùm videtur, continentiam & constantiam in bonis esse & laudabilibus, impotentiam & mollitiem in malis & vituperandis. Tum eumdem esse continentem & eum qui permanet in sententia: incontinentem & eum qui desistat à sententia & rationis iudicio. Et impotens quæ mala sunt, sciens mala esse, agit tamen victus perturbatione. At continens, quoniam malas esse cupiditates intelligit, eas ratione ductus non sequitur. Et temperantem quidem, continentem & constantem appellant: talem autem hominem alij temperantem omnem esse aiunt, alij negant. Itémque intemperantem pro incontinenti & incontinentem confusè ponunt pro intemperanti: Alij eos aiunt esse inter se diuersos. Prudentem verò interdum negant impotentem effici posse, in-

terdum eos qui sint prudentes & solertes, acutíve homines, impotentes putant. Præterea dicuntur & iræ impotentes, & honoris, & lucri. Atque hæc quidem sunt quæ feruntur, hominúmque sermone de his dici solent.

Cap. 2. *Sed hoc quærat aliquis, quo modò rectè quis sentiens, ab animi libidine vincatur, & incontinenter viuat? Scienti quidem id accidere posse negant nonnulli. Absurdum nanque sit Socratis sententia, cùm in aliquo est scientia, aliud quiddam vincere ac trahere eum quasi mancipium. Socrates enim nullam esse impotentiam, omnino cum ratione pugnans, ostendere conabatur. Neminem enim putabat, qui rectè existimaret, contra id quod optimum iudicasset, quicquam esse gesturum: sed per ignorantiam, omnem facere, qui ita faceret. Atque ea quidem quæ perspicua sunt, hęc in controuersiam reuocat oratio: quærendúmque nobis est, si hæc animi perturbatio ab ignoratione nascatur, quis eius ignorationis sit modus. Nam illud quidem planum est, hominem impotentem non putare quæ agat esse agenda, priusquam sit in perturbatione. Sunt verò nonnulli qui hæc partim concedant, partim non concedant. Nam & nihil esse scientia firmius fatentur: & neminem facere contra id quod melius esse opinatur, non fatentur. Ob eámque causam impotentem hominem aiunt non scientia quidem, sed opinione præditum, vinci à voluptatibus. Atqui si opinio quidem insit, ac non scientia: nec firma & vehemens existimatio sit quæ obsistat, sed leuis & infirma, vt iis contingit qui ambigunt, distrahuntúrque variis sententiis, profectò venia danda est, si aduersus vehementes cupiditates in tali sententia non per-*

maneat. At improbitati non est ignoscendum, neque vlli eorum quæ vituperanda sunt. An prudentia est quæ obsistit, cùm sit potentissima? At hoc absurdum est. Sic enim vnus & idem simul prudens & incõtinens est futurus. Atqui nemo dicat, prudentis esse sua sponte agere quæ sint flagitiosissima. Præterea suprà docuimus, qui prudens sit, eum, quoniam in extremis, hoc ex singulis rebus cerneretur, ad agendum esse paratum: & cæteris virtutibus omnibus instructum ac ornatum esse. Iam verò, si in eo continens sit positus, quòd cupiditatibus agitetur & vehementibus & malis: profectò temperatus nemo futurus est continens neque continens vllus moderatus. Neque enim cupiditates vehementes, neque malæ solent existere in temperante Atqui ita rem habere oportet. Etenim si bonæ atque honestæ sint cupiditates, vitiosum necesse est esse eum habitum, qui impedimento sit, quo minùs eas sequamur. Ita non esset in bonis omnis continentia. Quòd si infirmæ sint, nec improbæ, nihil in eo splendidum ac glorioſum erit: sin improbæ & imbecillæ, nihil magna laude dignum. Iam si nos vt in omni opinione persistamus, impellit continentia, mala sit aliqua continentia necesse est: velut si in falsa opinione nos retineat. Et si de omni opinione impotentia deducat, aliqua bona sit futura incontinentia: qualis est illa Neoptolemi Sophoclei, in Philoctete: Est enim iure laudandus, quòd iis minimè steterit, quæ Vlysses ei persuaserat, quia illi graue esset mentiri. Præterea Sophistarum ratio fallax ancipitem curam adfert cogitandi. Nam quia volunt ea potissimum suis reprehensionibus effecere, quæ sint præter communem hominum opinionem, quò videantur eum

id assecuti fuerint, argutiores, quæ conficitur ratiotinatio, dubitationem adfert. Victa est enim mens quodam modo cùm non vult illa quidem consistere, quia minùs probet quòd sit conclusum: sed tamen progredi longius non potest hoc ipso, quòd rationẽ nequeat dissoluere. Porrò autem potest quadam ratione accidere, vt imprudentia cum impotentia coniuncta, virtus sit. Contrà enim facit ac sentit propter impotentiam. Per imperitiam autem & imprudentiam existimat, quæ bona sunt, mala esse, & nec agenda esse. Quare quæ bona sunt, faciet, non quæ mala. Præterea qui agit & persequitur ea quæ voluptatẽ adferũt consultò, & hoc ipso, quòd sibi ita persuasit, melior videatur eo qui non de industria, sed ob impotentiam id faciat, quo facilius curari potest, si animum tantum contrà inducat. At verò impotens is est, in quem quadrare posse videtur id prouerbium,

Cùm præfocat guttur aqua, quid bibere attinet?

Etenim si persuasione animi ea faceret quæ facit, profectò statim dissuasus à sententia desisteret. Nunc absque vlla persuasione, nihilominus ita agit. Denique si in rebus omnibus versatur continẽtia & incontinentia, quis tandẽ est simpliciter impotens, cùm præsertim nemo omni genere impotentiæ sit cõstrictus. Atqui nõnullos absolutè, ac simpliciter impotentes vocamus. Atque ea quidẽ quæ hoc loco dubitationem adferunt, talia sunt. Quorum alia tollenda sũt, alia relinquenda. Dubitationis enim dissolutio, inuẽtio est.

Cap. 3. *Ac primùm quidem illud videndum est, vtrùm scientiam habeant impotentes, nécne, & quemadmodum habeant. Deinde quibus in rebus homo impotens & continens ponendus sit: vtrum, inquam, in omni voluptate &*

dolore, an in certis quibuſdam. Et continentes & conſtantes, vtrùm iidem ſint, ánne diuerſi? Itémque de cæteris quæ ſunt huic diſputationi coniuncta. Exordium autem hinc capiat diſputatio, vtrum continens homo & impotens ex iis ſtatuantur diuerſi, in quibus verſantur, an ex eo, quemadmodum in iis ſpectentur. Hoc dico vtrùm impotens homo ex eo, ſolùm, quòd in his vel illis cernatur, intelligatur impotens, nécne: ſed potiùs ex eo quod ſic in iis verſetur: an ne hoc quidem, ſed potiùs ex vtroque. Deinde quærendum eſt, vtrùm in omnibus continentia & incontinentia nécne verſentur. Neque enim cernitur in omnibus iis quæ abſolutè eſt impotens, ſed in quibus intemperans: non quòd in iis ſimpliciter & quomodocunque verſatur (eſſet enim idem intemperantia quod impotentia) ſed quòd certo quodam modo ſit affectus. Nam intemperãs cõſulto trahitur, quòd ſemper præſentem voluptatem putet ſequi oportere. Impotens non putat, cùm interim perſequatur. Nam quòd aiunt quidam, veram quidem eſſe opinionem, ſed non ſcientiam, præter quàm agunt impotentes, id profectò ad rationem nihil intereſt. Sunt enim quidem eorum qui ſunt in opinione, qui non pendent animi, ſed certò ſe rem ſcire exiſtimant. Ita ſi ij qui ſunt in opinione potiùs, quàm quirẽ ſciunt, contrà ac ſentiunt, faciunt propter leuem & imbecillam aſſenſionem, nihil inter ſcientiam intererit & opinionem. Nonnulli enim ſunt qui non minùs habent fidei his quæ opinantur, quàm alij iis quæ ſciunt, id quod Heraclitus indicat. Sed quoniam dupliciter aliquid ſcire dicimus, (nam & is in quo ſcientia eſt, nec ea vtitur: & is qui vtitur, ſcire dicuntur) permultum intereſt, ínſne qui præditus

est scientia, nec contemplatur & considerat, ea quę non sunt facienda faciat: an is qui præditus est, atque contemplatur & considerat. Hoc enim absurdum videatur, illud non item: nempe si agat tum, cùm usum non exerit scientia, & cùm non considerat. Iam verò cùm sint propositionum genera, nihil prohibet eum, qui vtrumque genus teneat, contrà ac sciat, facere si ea vtatur quæ est de toto genere, non ea quæ de parte enunciat: quæ enim sub actionem cadunt, in rebus singulis numerantur. Atque etiam eius quod vniuersum ac generale est, sunt quædam differentiæ: nam aliud in seipso vertitur, aliud in rebus. Veluti omni homini siccum prodesse, &, hunc esse hominem: vel siccum esse hoc, vel illud. Verùm taléne hoc sit, aut non habet scientiam, aut ea vsum non exerit. Tanta igitur ex iis generibus existet dissimilitudo & differentia: vt impotentem sic scire non sit absurdum, alio modo admirabile. Præterea scientiam habent in hominibus, suas habet quasdem differantias, ab iis etiam diuersas, quas, modò commemoraui. Nam ex eo, quod tenetur animo comprensa, vsus autem eis non adhibetur, adeò dissimilem habitum cernimus, vt & habere quodam modo, & quodam modo non habere videatur: vt videre est in dormientibus, furiosis & violentis. Atqui eorum modo, quo illi, affecti omnes sunt qui in aliqua sunt animi perturbatione. Nam & ab ira, & à Veneris cupiditate, & à quibusdam eius generis nõ solùm animi perturbantur, sed etiam corpora: nonnulli etiam ad insaniam adiguntur. Perspicuum igitur est, ita vt illi sunt, affectos esse impotentes. Nec verò verba sententiásque proferre quæ sint propriæ sententiæ, satis habet argumenti, quemquã conue-

nienter scientiæ agere, & vsum scientiæ adhibere. Nam & qui illis perturbationibus æstuant, demonstrationes & carmina Empedoclis proferunt: & qui primùm discunt, orationes illi quidem connectunt, sed non intelligunt. Debent enim hæc animo penitus insidere: quod vt fiat, tempore opus est. Quocirca qualis histrionem, talis iudicanda est impotentium oratio. Iam verò hoc etiam modo ex natura causam intueri licet, quòd cùm opinionũ aliæ in vniuersis rebus, aliæ in singulis, quarum sensus dominus est, cernantur: si ex iis fiat vna, necesse est in hoc quidem genere animum, id, quod ex illis concluditur, decernere & affirmare: in rebus verò quæ affectioni subiectæ sunt, statim se applicare ad faciendum. Vt si quod dulce est, omne gustandum: hoc autem dulce est, quòd sit vna quædam rerum singularum: necesse est eum simul agere qui possit, nec prohibeatur. Cùm ergo inest generis vniuersi opinio, quæ gustare vetat: alia autem dulcia esse suauia omnia: tum verò hoc dulce esse: profectò hæc actum exerit, quæ tum fortè erat, cupiditas. Ergo illa hoc fugiendum monet, cupiditas contrà ad se rapit: vt quæ potest omnes animi partes commouere. Quo fit vt à ratione quodam modo & opinione nascatur incontinentia: non ea quidem per se contraria, sed ex accidente. Non enim rectæ rationi opinio contraria est, sed cupiditas. Quocirca non sunt belluæ impotentes, propterea quòd rerum vniuersarum non habent comprehensionem: sed rerum modò singularum visis & recordatione mouentur. Quemadmodum autem deleta ignoratione ad scientiam reuocatur impotens, eadem ratio est & ebriosorum & dormientium communis, non huius perturbatio-

nis propria: quæ ab iis petenda est, qui naturas rerum inuestigant. Quoniam autem extrema enunciatio est eius quod sub sensum cadit opinio, actionúmque domina est, eam aut non habet is qui in perturbatione est, aut sic certè eam habet, vt sic habere non sit scire, sed morte vinolentorum Empedoclis carmina recitare. Et quoniam non sunt de toto genere extremæ enunciationes, neque sub sciẽtiam æquè cadunt vt vniuersæ: illud profectò quod Socrates quærebat, contingere non immeritò videtur. Neque enim tum cùm adest, quæ verè ac propriè scientia dicitur, animi perturbatio nascitur, aut ea à perturbatione conuellitur ac distrahitur, sed cùm ea adest quæ sensu percipitur. Ac hominem quidem scientem ac non scientem incontinenter viuere, quóq; modo quis in scientia possit esse impotens, sit dictum satis.

Profectò hæc exequitur.] In Græco codice legendũ est δὴ pro δὲ, vt sit, αὕτη δὴ ἐνέργεια.

Cap. 4. Deinceps dicendum est, vtrùm sit aliquis simpliciter impotens, an aliqua ex parte omnes habeantur: tum si est aliquis, qualibus in rebus versetur. Illud igitur perspicuum est, continentes & constantes, itémque incontinentes & molles homines in voluptatibus doloribúsque versari. Eorum autem quæ voluptatem efficiunt, alia sunt necessaria, alia propter se sunt illa quidem expetendo, sed in iis perfruẽdis modus excedi potest. Necessaria sunt quæ ad corpus pertinent: quo ex genere sunt ea omnia quæ ad victum, & quæ ad vsum venereorum referuntur: & huius generis cætera ad corpus pertinentia, in quibus temperantiam & intemperantiam locauimus. Alia non sunt illa quidem necessaria, sed per se expetenda: vt victoria, honor, opes, & quæ bona sunt & iucunda eiusdem generis. Ac eos quidem

qui in iis perfruendis contra rectæ rationis, quæ ineſt in ipſis, præſcriptum, modum ſuperant, non ſimpliciter impotentes vocamus, ſed cum adiunctione pecuniarum, quæſtus, gloriæ, & animi impotentes: ſimpliciter impotentes nunquam: quaſi ſint ab illis diuerſi, & ex ſimilitudine ita nominentur. Qualis fuit ἄνθρωπος, nomine, qui ludis Olympicis victor fuit: in quo à propria ratione paulum admodum differèbat communis ἀνθρώπου ratio: ſed tamen diuerſa erat. Illud verò ita ſe habere, vt dixi, hinc perſpici poteſt, quòd impotentia vituperatur, non vt peccatum tantùm, ſed vt vitium quoddam, idque aut ſimpliciter, aut quadam ex parte: quod illorum contingit nemini. Eorum autem qui ſe corporis voluptatibus perfruendis dedunt, iis in quibus temperantem & intemperantem verſari dicimus, qui non conſilio ac de induſtria, ſed præter inſtitutum ſuſceptúmque conſilium immoderatas voluptates ſequitur, doloréſque nimios fugit, vt famis, ſitis, caloris & frigoris, eorúmque omnium quę in tactu & guſtu conſiſtunt, is non cum adiunctione, vt cùm impotentem iræ dicimus, ſed abſolutè impotens nominatur: Quod ex eo velut ſigno intelligi poteſt, quia in his eiſdem intemperantes dicuntur, in illis nequaquam. Ob eámque cauſam in eodem impotentem & intemperantem, continentémque & temperatum ponimus: illorum verò neminem: quòd in iiſdem quodammodo voluptatibus & doloribus cernuntur. Ac in iiſdem quidem illi verſantur, ſed non eodem modo: ſed illi conſultò, hi inconſulto. Itaque potiùs intemperantem appellari licet eum qui nullo aut certè leui cupiditate incitatus, immodicas ſequitur voluptates, aut mediocres dolores fugit: quàm eum qui idem faciat, magnis

& vehementibus cupiditatibus impulsus. Quid enim ille faciat, si iuuenilis libido exarserit, & in rerum necessariarum indigentia vehemens ægritudo? sed quoniam cupiditates & voluptates quædam sunt in rebus genere ipso honestis & bonis: ex iis enim quæ delectant, quædam sunt suapte natura expetenda, alia his contraria, nonnulla media, quemadmodum suprà diuisimus: vt pecuniæ quæstus, victoria, gloria: omnibus certè quæ sunt illius generis, & mediis: non quia eorum studio, cupiditate & amore teneantur homines, vituperantur, sed quòd certo quodam modo, hoc est, quia modum transeunt ac superant. Itaque omnes vituperantur, qui præter rationem ac modum aut vincuntur eorum aliquo, quæ suapte natura honesta sunt & bona, aut eadem sequuntur, veluti qui nimium gloriæ studeant, aut plus æquo sunt liberorum ac parentum studiosi (nam & hæc in bonis sunt, & qui ea studiosè colunt atque obseruant, laudantur: sed tamen in iis quoque est nimiũ quiddam, si quis, vt Niobe, vel cum diis pugnet: aut quemadmodum Satyrus ille qui φιλοπάτωρ, id est, amans patris cognominatus est, insano amore afficiatur in patrem. nimium enim insanire videbatur. Improbitas igitur in iis nulla est: propterea quòd (vt dixi) vnumquodque eorum in iis est quæ natura sunt propter se expetenda: sed eorum nimiæ ac immodicæ cupiditates, prauæ sunt & fugiendæ. Itémque ne impotentia quidem est in illis. Est enim non modò fugienda, sed etiam vituperanda impotentia. Verùm ob similitudinem perturbationis cum adiunctione, vnicuique nomen impotentiæ attribuunt, vt cùm malum medicum malúmque histrionem appellant, quem simpliciter malum

nunquam dicerent. Vt igitur hic malus dicitur, non quòd sit vitium vnumquodque eorum, sed quia quadam proportione est simile: sic illic etiã existimanda est in iis solùm continentia & impotentia, quæ in iisdem quibus temperantia & intemperantia versatur: per similitudinem autem idem illud de ira dicimus. Idcirco cùm adiunctione impotentem iræ dicimus, sicuti honoris & quæstus.

Διὸι ἔστι μὲν παρὰ τὸν λόγον.]Hic repetendum est ex proximo verbum ψέγονται: vt sit sensus, διὸ ψέγονται ὅτι, alioqui videbitur esse ἀκολούθον.

Quoniam autem aliqua sunt iucunda naturâ, quorum alia sunt simpliciter talia, alia pro animantium hominúmque genere: alia non naturâ & per se, verùm alia ex affectis morbo aliquo partibus, quædam consuetudine, nonnulla vitiosa deprauataque naturâ fiunt iucunda: licet etiam in horum singulis persimiles habitus cernere. Ac belluinos quidem dico, qualis fuit eius mulieris, quam incisis grauidis mulieribus fœtus deuorare aiunt solitam: aut quibus ferunt delectari efferatos circa Pontum quosdam homines, quorum alios cruda, alios humana carne vesci confirmant, alios commodare vltrò citróque liberos ad epulandum, aut quod ferunt de Phalaride. Atque hæ quidem sunt ferinæ ac belluinæ affectiones. Aliæ ex morbis furiáque nascuntur, vt in illo qui matrem mactauit & comedit: & in eo qui conserui iecur. Aliæ habent nescio quid morbosum: aut verò consuetudine gignuntur, vt pilorum euulsiones, & erosiones vnguium, carbonum etiam esus & terræ. Præterea libidinosorum cum maribus concubitus. Aliis enim naturâ, aliis consuetudine eueniunt, vt si qui ita assuescant, à pueris. Ac eorum quidem, quibus earum affectionum can- Cap. 5.

ſa eſt naturâ, neminem impotentem ſolemus dicere: vt nec mulieres quòd in re venerea non incubent, ſed ſuccubent. Quod idem in iis eſt dicẽdum, qui ex conſuetudine ita affecti ſunt, vt qui morbo ſunt correpti. Vt igitur immanitas & belluina affectio, ſic ſingulæ hæ animi affectiones ſunt extra vitij metas. His verò affectum aliquem, vincere aut vinci: nõ eſt ea ſimplex abſolutáq; continentia aut incontinentia, ſed quædam par ac ſimilis non ſecus quam ſi quis ſit hoc eodem modo immani iracundia præditus. Is enim huius quidem perturbationis impotens dicitur, ac non ſimpliciter impotẽs. Omnis enim perinſignis & ſupra modũ excellens vitioſitas, amẽtia, timiditas intemperantia & ſæuitia, vel feriati vel morbo tribuenda. Qui enim naturâ eſt einſmodi, vt metuat omnia, etiam ſi mus ſtrepitum edat, ferina quadam timiditate timidus eſt habendus. Alius quidem felem per morbum timebat. Et ex iis quidem qui amantes ſunt, qui à natura ſunt rationis expertes, & ſolo ſenſu viuunt, immanes quidem, belluarúmque ſimiles habendi ſunt, vt quædam gentes barbaræ hinc procul habitantes. Atqui ex morbo vt comitiali, vel furia, morboſi. Poteſt autem quis interdum horum aliquo affectu ſolùm incitari, neque vincetur. Vt ſi Phalaris pueri aut ad vorandũ, aut ad nefandã venerem cupidus, ſe coërceat & contineat. Fieri etiam poteſt, vt quis vincatur à perturbatione, non ſolùm ſit in ea. Quemadmodum igitur improbitas ea quæ non excedit naturam humanam, ſimpliciter improbitas dicitur: alia cum adiunctione ferina aut morboſa improbitas dicitur, non ſimpliciter improbitas: ſic perſpicuum eſt, impotentiam eſſe aliam belluinam, aliam morboſam: ſimpliciter autem ita

dici eam ſolam quæ humanæ intemperantiæ congruit.

Illud ergo iam quidem perſpicuum eſt continentiam C ap.6
& impotentiam in iis tantùm verſari, in quibus temperantia ſit & intemperantia: aliúdque earum eſſe genus in aliis rebus, quod per tranſlationem non abſolutè dicatur. Nunc oſtendamus iræ, quàm cupiditatum minus turpem eſſe impotentiam. Ira enim parêre illa quidem videtur quodammodo rationi, ſed non attentè eam audit more miniſtrorum præcelerum, qui antequam omnia quæ iubentur audierint, abeunt, deinde in officio præſtando peccant: & ritu canum qui priuſquam conſiderarint, ſítne amicus qui pulſauit, allatrant. Sic ira feruore ac repentino naturæ motu incitata, audit illa quidem rationem, ſed mandato non planè intellecto, ad vltionem ſe conuertit. Cùm enim ratio vel viſio contumeliam aut contemptum ſubeſſe declarauit, hæc tanquam ſit collectum ratiocinatione huic tali bellum eſſe referendum, repentè excandeſcit. At verò cupiditas, ſi tantùm ratio vel ſenſus dixerit hoc vel illud eſſe ſuaue, inflammata rapitur ad id perfruendum. Ita quodam modo ſequitur rationem ira, cupiditas minimè. Eſt igitur turpior cupiditas: quandoquidem impotens, animi quodam modo à ratione vincitur: alius non à ratione, ſed à cupiditate. Iam verò ei potius ignoſcendum eſt, qui appetitiones ſequitur naturales, quandoquidem hac ratione ignoſcitur etiam cupiditatibus, quæ omnibus communes ſunt; & quatenus ſunt communes. At iracundia & acerbitas magis naturalis eſt, quàm cupiditates eæ quæ in exuperatione cernuntur, & quæ ſunt minùs neceſſariæ. Vt ille qui, quòd patrem ſuum verberaret, hanc in defen-

ſione ſua rationem attulit: hunc, ſuum: & illum, ſuperiorem verberaſſe: productóque filio, hic etiam, inquit, vbi adoleuerit, me verberabit: eſt enim hoc nobis gentile & hæreditarium. Et ille, qui cùm à filio traheretur, eum iuſſit ad fores conſiſtere: à ſe enim ad eum locum patrem eſſe tractum. Præterea quo quiſque maiore fraude & ex inſidiis agit; eò iuſtior eſt. Iracundus autem non eſt inſidioſus, nec inſidioſa iracundia, ſed aperta. At cupiditas eſt inſidiatrix, iuxta id quod de Venere fertur. Cyprigenam enim inſidioſam vocat Homerus, baltheúmque ei tribuit, in quo doli eſſent.

Qua fraude omnes vel prudentes decipiuntur.

Itaque ſi iniuſtior eſt, & turpior erit hæc impotentia, quàm quæ in ira cernitur: atque illa ipſa eſt quæ ſimpliciter impotentia vocatur, & quodam modo malitia eſt. Præterea nemo dolens libidini paret. At, qui per iram facit, omnis dolens facit: qui verò libidini obſequitur, libenter & cum voluptate facit. Si igitur quibus rebus iuſtius offendimur, eæ ſunt iniuſtiores, profectò impotentia cupiditatum erit huiuſmodi. Neque enim in ira ineſt per libidinem facta iniuria. Ergo hoc iam perſpicuum eſt, impotentiam cupiditatum, iræ eſſe impotentia turpiorem: in iíſque voluptatibus & cupiditatibus eſſe continentiam & incontinentiam, quæ ad corpus pertinent. Intelligendæ autem ſunt harum ipſarum differentiæ. Aliæ enim ſunt, vt initio diximus, humanæ & naturales & genere & magnitudine: aliæ belluinæ quædam ex oblæſo ac debilitato principio, morbíſque gignuntur: quarum in primo genere duntaxat ſunt temperantia & intemperantia. Itaque nec tem-

perantes belluas dicimus, nec intemperantes, nisi per metaphoram: etiam si aliud animantium genus alij præstet petulantia, facilitate, & voracitate: Neque enim in belluis est vllum agendi consilium, aut vlla ratio, sed de naturæ statu dimotæ sunt, haud secus quàm homines furiosi. Minus autem mala est feritas, quàm malitia sed terribilior tamen. Neque enim in illis quod est optimum, deprauatum ac corruptum est, vt in homine, sed ab eo discessum est, adeóque iam non inest. Perinde igitur est, ac si inanimum cum animante conferas, vtrum sit peius. Semper enim minor est prauitas eius quod principio caret, mens autem principium est. Planè igitur simile est, vt si quis iniustitiam cum iniusto homine compararet: quorum vtrumque suo quodam modo vtroque peius est. Nam homo malus plura infinitis partibus mala intulerit, quàm fera.

In quibus autem voluptatibus quæ ad tactum gustátúmque pertinent, ac doloribus, cupiditatibus & fugis consistere temperantiam & intemperantiam suprà exposuimus, in iis potest quispiam ita animo affectus esse, vt ab iis vincatur, quæ etiam plerique superant: potest etiam ea vincere, à quibus plerique vincantur. Horum qui in voluptatibus quidem ita animo affecti sunt, ille impotens, hic continens nominatur. In doloribus verò hic mollis & delicatus, ille constans & patiens. Sunt autem quasi medy inter hæc habitus multitudinis: quanquam magis ad vitiosos deflectere videantur. Quoniam autem voluptates aliæ sunt necessariæ, aliæ non necessariæ, & vsque ad certum quendam modum perfruendæ, exuperationes & defectiones non probandæ: quod idem de cupiditatibus & dolori- Cap. 7.

bus dicendum: qui immoderates voluptates, aut immoderatè ac suprà modum persequitur, si id facit certo animi iudicio ac velut de industria, propter ipsas, non propter aliud quicquam ex iis consequens, iis intemperans habendus est. Quem quoniam necesse est facti non pœnitere, idcirco est insanabilis. Nam qui nulla ducuntur pœnitentia, insanabiles sunt. Qui autem deficit à modo perfruendæ voluptatis, huic contrarius ponitur. At qui medius est, temperans nominatur. Eadem ratio est eius qui dolores corporis fugit, non quia vincitur, sed certo animi iudicio & consulto. Eorum autem qui non consilio ducuntur, & certo agendi proposito, alius voluptate rapitur, alius fuga molestiæ, quæ inest in cupiditate. Ita sunt inter se diuersi. Sed nemo est cui non multo deterior videatur, qui nulla aut leui cupiditate impulsus, turpe aliquid faciat, quàm qui vehementi: & qui nulla ira incitatus pulset aliquem, quàm qui idem iratus faceret. Quid enim facturus fuisse videatur, si fuisset in perturbatione? Quapropter peior est impotente intemperans. Eorum verò, quos suprà dixi, alius mollis potiùs, alius impotens appellatur. Contrarius autem est & continens impotenti, & melli ac delicato constans & patiens. Constantia enim & patientia est in resistendo, continentia in vincendo. Aliud autem est resistere, aliud vincere: vt aliud non vinci, aliud vincere. Quare optabilior est continentia, quàm constantia. Qui autem animo deficit in iis rebus, quibus plerique & obsistere possunt, & obsistunt, is mollis & delicatus habendus est: (deliciæ enim quædam animi mellicies est) vt si quis vestem trahat, ne quam in ea tollenda suscipiat molestiam. Et qui

imitatur ac fingit ægrum, non se miserum esse putat, cùm sit misero similis. Similis est ratio continentiæ & incontinentiæ. Neque enim mirum sit aliquem esse, qui à vehementibus & præmagnis voluptatibus, doloribúsque vincatur: quinetiam venia danda est, si quis obsistens vincatur, vt Theodectæ Philoctotes ictus à vipera: vel Carcini Cercyon in Alope: & vt homines qui tenere risum conati, vniuersum effundunt, quod Xenophanto accidit. Sed si quis iis succumbat, quibus plerique possunt obsistere, id denique sit mirum, præsertim si neque natura totius generis, neque morbo impeditus non possit obsistere. Qualis est in Scytharum regibus mollities, propter genus: & qualis est mulierum ad viros differentia. Videtur autem etiam is qui ad ludum propensior est, intemperans esse: quem tamen verius est mollem esse. Ludus enim remissio ac relaxatio est, siquidem requies. Ex eorum autem numero qui in hoc modum superant, est παιδιώδης, hoc est ludibundus. Porrò autem impotentia alia ex temeritate, alia ex imbecillitate gignitur. Alij enim postquam consultarunt, non seruant tamen, neque tenent id quod statuerant, victi à perturbatione. Alij quia nullum inierunt consilium, à perturbatione rapiuntur. Nonnulli enim sunt qui quemadmodum qui se priùs ad titillationem confirmarunt, non titillantur: sic cùm præsenserunt ac præuiderunt, excitarúntque se ac rationem, nunquam à perturbatione vincuntur, siue suaue ac iucundum sit quod obiicitur, siue asperum ac molestum. Maximè autem, acutorum & atra bili hominum est temerata & præceps impotentia: quoniam illi propter celeritatem, hi propter vehementiam,

rationem non expectant, hoc ipso quòd visionem & speciem obiectam animo facilè sequantur.

Cap. 8. Quoniam autem factorum suorum, vt dixi, non pœnitet intemperantem: quippe qui permaneat in proposito susceptóque consilio: impotentem verò quodam modo pœnitet, idcirco non ita est, vt quærendo disputauimus: sed contrà, hic sanabilis est, ille insanabilis. Similis enim est improbitas morbis intercuti & tabi, impotentia morbis comitialibus: nam illa est assidua, hæc non assidua, est malitia. Omninóque ex alio genere est impotentia, ex alio vitium. Vitium enim omne suæ culpæ ignarum est, non est ignara impotentia. Atque horum ipsorum meliores ij sunt qui præcipites habent mentis impetus, quàm ij in quibus est ratio, neque in ea permanent. Hi enim à minore perturbatione vincuntur, & non inconsultò, vt illi alteri: Est enim impotens iis similis hominibus qui & citò, & pauculo vino, atque adeò pauciore, quàm plerique, inebriantur. Ac impotentiam non esse vitium, nisi fortè aliqua ex parte, hinc perspici potest, quòd illa non est cum certo agendi consilio coniuncta, vitium coniunctum est. Veruntamen actionibus similes sunt. Quale est illud Demodoci in Milesios. Milesij non sunt insipientes illi quidem, sed talia faciunt qualia insipientes. Et impotentes, non sunt iniusti, faciunt tamen quæ iniusta sunt. Quoniam autem hic eiusmodi est, qui, tametsi non sibi ita persuasit, immoderatas quasdam, & præter rectam rationem corporis voluptates persequatur, ille autem ita animum induxit, quòd sit eiusmodi qui eas sequatur: illa facilè desistet de sententia; hic non facilè. Nam & vir-

tus agendi principium conſeruat: & vitium labefactat atque peruertit. In actionibus autem ipſe finis principium eſt, vt in mathematicis, hypotheſes. Neque igitur illic principia adhibita ad docendum ratione probantur, neq; hîc: ſed virtus vel quæ incita eſt naturâ, vel amore profecta, bene ſentiendi de principio auctor eſt. Ergo temperans huiuſmodi eſt. cui contrarius eſt intemperans. Eſt verò etiam aliquis qui propter perturbationem à recta ratione deſciſcit: quem vt ne agat ex rationis rectæ præſcriptione, impellit perturbatio, eadem tamen non adeò ſuperat, vt ei certum ſit ac deſtinatum, eius generis voluptates effusè ſequi oportere. Hic impotens eſt. Qui melior eſt intemperante: nec planè improbus. Saluum enim in eo & integrum eſt principium, quo nihil in nobis eſt præſtantius. Huic autem contrarius eſt continens, qui permanet in ſententia, à qua eum nulla poteſt dimouere perturbatio. Ex quo perſpicuum, hunc bonum habitum eſſe, illum malum.

Vtrùm ergo continens eſt qui in quauis ratione permanet & in quolibet propoſito, an is demum qui in recto & honeſto? Et impotens vtrum is qui non in qualibet ratione & propoſito permaneat, an is demum qui in falſa ratione & non recto conſilio, vt initio à nobis quæſitum eſt? An per aliud & ex accidente in quauis, per ſe autem in vera ratione & recto conſilio ille permanet, hic non permanet. Si quis enim hoc propter illud expetit, aut ſequitur, per ſe quidem hoc perſequitur & expetit, ex accidente illud ſuperius. Simpliciter autem & abſolutè dicimus eſſe id quod eſt propter ſe. Ita in qualibet hic ſententia permanet quodam modo, ille ab eadem abducitur, at ſimpliciter in vera. Suns Cap. 9.

autem nonnulli qui in ſententia permanent, quos pertinaces appellant, quales ſunt ij qui deſiſtunt ægrè à ſententia nec facilè diſſuaderi poſſunt. Hi ſimile quidem habent continenti, vt prodigus liberali, audax forti, ſed in multis ab eo diuerſi ſunt. Nam continens, perturbatione & cupiditate non mutat ſententiam: cùm alioqui, ſi ita res ferat, facilè deſiſtat à ſententia. Illi verò ne ratione quidem oblata non mutant ſententiam: cùm alioqui ſe vltrò cupiditatibus offerant plerique, & inflammati voluptate rapiantur. Pertinaces autem ſunt ij qui appellantur ἰδιογνώμονες, id eſt, qui ſuas quaſdam habent ſibi opiniones ac ſententias, & indocti, & agreſtes. Ac illi quidem ἰδιογνώμονες, huiuſmodi exiſtunt voluptate & moleſtia inducti. Voluptatem enim ex victoria percipiunt, ſi non dimoueantur de ſententia: & moleſtè ferunt, ſi ſua quaſi decreta tollantur & infirmentur. Quare ſunt illi quidem incontinenti, quàm continenti ſimiliores. Sunt etiam qui non ſtant in eo quod ſtatuerunt, neque id tamen per impotentiam, vt in Philoctete Sophoclis Neoptolemus, qui propter voluptatem quidem, ſed eam honeſtam, non permanſit in ſententia. Nam verum dicere, illi honeſtum erat: ad mentiendum autem erat ab Vlyſſe inductus ac perſuaſus. Neque enim qui voluptatis cauſa aliquid agunt, omnes continuò vel intemperantes, vel improbi, vel impotentes ſunt habendi, ſed qui turpi voluptate ducuntur. Quoniam autem eſt aliquis eiuſmodi, qui minus quàm oportet, corporis voluptatibus oblectetur, quíque ſit eiuſmodi, vt non permaneat in vera ratione: fit vt inter illum ipſum & impotentem, medium locum obtineat continens. Nam & propter

maiorem, quàm oportet, voluptatis oblectationem, non seruat rationem impotens: hic verò quia minus, quàm par sit, oblectetur. Continens verò sic suum iudicium retinet ac rationem, vt à neutro se patiatur deijci. Quòd si in bonis est continentia, ambas necesse est contrarias animi affectiones esse in malis: sicuti etiam videntur. Sed quia altera in paucis, atque rarò reperitur, idcirco vt temperentia tantùm intemperantiæ aduersari videtur, sic continentia impotentiæ. Et quoniam multa dicuntur per similitudinem, continentia quoque temperantis habitum similitudine quadam consecuta est. Vt enim continens, sic temperans eiusmodi est, qui nihil quod rationi sit contrarium, faciat, propter eas quæ ad corpus pertinent voluptates. Sed hoc interest, quòd in illo insunt, in hoc nullæ sunt prauæ cupiditates. Et quòd hic huiusmodi est, qui nulla præter rationem capiatur voluptate: capitur autem ille quidem, sed non perducitur. Similes etiam sunt inter se intemperans & impotens, cùm sint diuersi: quoniam vterque voluptates corporis sequitur: sed ille putat persequendas esse, hic non putat.

Cùm alioqui si ita res ferat desistat facilè à sententia.] Iam suprà admonui huius particulæ ἐπεὶ eam sæpe vim esse vt idem significet, quod alioqui Latinè, quod qui nesciunt, permultos locos malè vertunt.

Et quoniam multa dicuntur per similitudinem.] Mendum est in multis exemplaribus Græcis, in quibus legitur καὶ ἡ ἐγκράτεια ἡ τοῦ σώφρονος: cùm legendum sit, καὶ ἡ ἐγκράτεια τῇ τοῦ σώφρονος. vt intelligatur τῇ ἕξει. Reddit autem rationem cur à multis confundantur, & pro eodem accipiantur continentia & temperantia, vt initio libri dixerat.

Neque verò vnus idémque vna prudens esse potest Cap. 10.
& impotens. Nam qui prudens sit, eundem etiam moribus omni virtute ornatis & instructis esse ostendimus. Præterea non ex eo solùm prudens est, quòd sciat quid a-

gendum ſit, ſed ex eo etiam quòd vſu rerum agendarum valeat. At impotens vſu rerum agendarum non valet, neque eſt ad rerum actionem idoneus. Acutum certè ac ſolertem hominem nihil prohibet impotentem eſſe. Jdeóque videntur etiam nonnulli prudentes eſſe impotentes: propterea quòd, vt ſuperiore libro oſtendimus, inter ſolertiam & prudentiam ita interſit. Ac ſunt illi quidem finitimi, quòd ad rationem attinet: quòd verò ad agendi conſilium, longè diuerſi. Nec verò impotens ita affectus eſt animo, vt qui ſcit & contemplatur, ſed vt dormientes & ebrij. Jdémque ſponte agit (ſcit enim quodammodo & quid, & cuius rei cauſa agat) ſed minimè improbus eſt: probum enim eſt in eo agendi conſilium ac propoſitum. Itaque eſt veluti ſemiimprobus. Neque verò eſt iniuſtus, vt qui non fraude & veluti dolo adhibito agat. Jmpotentium enim alij non perſtant in eo quod deliberatione ſtatutum ſit. Alij qui ſunt melencholici, ne deliberant quidem omnino. Similis eſt igitur impotens ciuitati, quæ ſtatuit illa quidem præclarè omnia, legéſque habet bonas & ſalutares, ſed earum nulla vtitur. Jd quod Anaxandrides facetè dixit:

Vult ciuitas leges, quas non ſeruat tamen.

Improbus autem ei, quæ ſeruat illa quidem leges, ſed malas & perniciosas. Porrò autem in eo quod multitudinis habitum excedit, omnis & continentia & incontinentia cernitur. Nam continens magis, incontinens minus in recta ratione perſtat, quàm vires ferant plurimorum. Eorum autem impotentia faciliùs ſanari poteſt qui atra bile tenentur, quàm eorum qui initio rectè conſilio non ſtant in eo quod ſit iudicatum. Et ij qui conſuetudine, quàm qui natu-

ra impotentiam compararũt. Est enim facilius consuetudinem mutare, quàm naturam: quippe cùm propterea difficilè consuetudo mutetur, quòd ad naturam proximè accedat. Id quod etiam Euenus ait,

Consuetudo quidem non fit, nisi tempore multo:
At fiet natura homini, si longius ibit.

At continentia quidem quid sit, quid impotentia, quid constantia & mollities, quámque inter se rationem habeant hi habitus, dictum est.

De voluptate autem & dolore disputare philosophi est Cap. II.
eius, qui ciuilem scientiam profitetur. Is enim est velut magister & architectus illius finis bonorum omnium, quem intuentes alia in bonis, alia in malis simpliciter esse censemus. Iam verò cùm virtutes & vitia quæ ad mores pertinent, in voluptate ac dolore cerni posuerimus, hæc nobis de voluptate & dolore etiam necessariò suscipiẽda disputatio est. Et sanè plerique fœlicitatem cum voluptate cõiunctam esse affirmant. Itaque μακάριον, id est beatum, ἀπὸ τῆς χαρᾶς nominarunt, Sunt igitur qui nullam voluptatem bonum esse censent, neque per se neque ex accidente: quòd non idem sit bonum & voluptas. Alij nonnullas in bonis numerant, multas in malis. Tertia enim est sententia eorum qui asserunt, & si omnes in bonis sint, tamen non posse voluptatem summum bonum esse. Omnino quidem non esse bonum voluptatem propterea dicunt, quòd voluptas omnis sit ortus quidam ad naturam pertinens, quem sensus percipit. Neque enim ex eodem genere sunt ortus & finis, vt nulla ædificatio est ipsa domus. Præterea cùm voluptates fugit temperans: tum prudens non id quod voluptatem ef-

ficit, ſed indolentiam ſequitur. Iam verò impedimento eſt voluptas, quo minus ſapias: eóque magis, quo maior eſt vt Veneris. Qui enim in ea ſit, nihil agitare mente, nihil ratione explicare, nihil cogitatione conſequi poſſe. Præterea nulla ars eſt voluptatis. At omne bonum, eſt artis opus. Poſtremò voluptates & pueri perſequuntur & belluæ. Sed non omnes eſſe in bonis alij propterea dicunt, quòd aliquæ ſunt obſcœnæ, & quæ vt probra obiiciuntur: & quod nocent. Quædam enim eorum quæ nos voluptate afficiunt, morbos adferunt. Non eſſe autem in voluptate ſummum bonum, quòd voluptas non ſit finis, ſed ortus. Atque hæc ferè ſunt quæ de voluptate afferuntur.

Cap. 12. *Ex iis verò non effici, vt voluptas ne ſit bonum, neque ſummum bonum, ex his intelligi poteſt. Primùm, quia bonum dupliciter dicitur: alterum, quod ſimpliciter acper ſe bonum ſit: alterum, quod alicui bonum ſit: efficitur vt etiam eandem diuiſionem naturæ & habitus conſequantur. Quare etiam motiones & ortus eandem admittent diuiſionem. Et quæ malæ videntur, aliæ ſimpliciter malæ, alicui non malæ ſunt, ſed expetendæ. Quædam verò nec certo quidem, ſed aliquando & perexiguo tempore, expetendæ non item. Atque hæ non ſunt voluptates, ſed videntur omnes ſcilicet eæ quæ cum dolore coniunctæ ſunt, & medendi cauſa adhibentur: quales ſunt ægrotorum. Deinde cùm bonorum aliud actu cernatur, aliud habitu: quæ volptates ad conſtitutionem habitus naturalis pertinent, ex accidente ſuaues ac iucundæ ſunt, non per ſe. quoniam actus in cupiditatibus ſunt deficientis non ſine moleſtia habitus atque naturæ: cùm alioqui ſint & quæ-*

dam voluptates quæ dolore & cupiditate vacant, quales sunt quæ in contemplando percipiuntur, tum cùm natura nihil desiderat. Quod ex eo velut signo perspici potest, quia non iisdem rebus voluptatem parientibus delectantur homines, cùm natura expleta est & satiata, & cùm adhuc expletur. Sed cùm iam contenta est, iis quæ simpliciter ac per se sunt iucunda cùm adhuc expletur, nec contenta est, etiam contrariis. Etenim acidis & amaris tum delectari solent: quorum nihil natura gratum est, nec simpliciter iucundum. Quare ne voluptates quidem. Vt enim quæ iucunda sunt, inter se affecta sunt: sic eæ etiam quæ ex illis percipiuntur voluptates. Neque verò aliud quidpiam necesse est melius esse voluptate, vt nonnulli asserunt: finem scilicet ortu esse præstantiorem. Neque enim voluptates ortus sunt, neque omnes cum ortu coniunctæ, sed actus potius & finis: nec gignendo eueniunt, sed vtendo. Neque est omnium alius finis quidam quo referantur, sed earum modo quæ ad perfectionem naturę pręducunt. Itaque illud non est præclarè dictum, voluptatem esse ortum quendum quẽ sensus percipiat: sed definienda potius fuit, actum esse habitus qui secundum naturam est: & pro illo, quem sensus percipit, non impeditus. Sed ortus quidam videtur esse id quod est verè ac propriè bonum: quia actum, quendam ortum esse putent, cùm tamen reuera sit aliud. Quòd verò aiunt malas esse, propterea quod morbos pariant nonnullę res quę voluptatem efficiunt, idem valet contra salubria, quorum quędam rei numariæ obsunt. Ergo hac quidem ex parte, vtraque mala sunt. Verùm ex hoc profectò non sunt mala æstimanda: quoniam contemplatio etiam rerum nocet interdũ

valetudini. Neque verò prudentiam aut vllum habitum impedit, quæ ex quoque habitu proficiscitur voluptas, sed quæ sunt alienæ. Quinetiam quæ ex discendo & contemplãdo capiuntur voluptates, hoc præstant, vt magis ac magis discamus ac contemplemur. Quod autem afferunt voluptatem nullius artis opus esse, id non immeritò accidit. Neque enim vllius alterius actus ars est, sed potiùs facultatis ac potestatis. Quanquam voluptatis videtur esse vnguentaria & culinaria. Quod verò aiunt temperantē fugere voluptates: prudentémque sequi indolentiam, non voluptatem, tum pueros & belluas voluptatem persequi: hæc vna ratione omnia dissoluuntur. Quia enim diximus, quo modo simpliciter bonæ, & quomodo non bonæ sunt omnes voluptates: has pueri ac belluæ sequũtur: prudens autem earum indolentiam, quæ cum cupiditate & dolore ac molestia coniunctæ sunt, quæ eadem ad corpus pertinent (hæ enim sunt ex eo genere) & intemperans eas nimias, ex quibus intemperans nominatus est. Quapropter eas fugit temperans. Alioqui sunt & temperantis suæ quædam voluptates.

Actus enim in cupiditatibus.] Vbi legitur hic, ἴσως ἡ ἐνέργεια, ego ex lib. 6. ad Eudemum lego ὅτι αἱ ἐνέργειαι, quæ est vera lectio.

Sed ortus quidem videtur esse id propriè] In Græcis exemplaribus multis non legitur ὅτι, sed ὅτε, & rectè: atque ego sic reddidi.

Cap. 13. At verò hoc inter omnes constat, dolorem malum esse atque fugiendum. Nam alius absolutè malum est, alius quadam ex parte, nempe quia impedimento est. Quod autem ei contrarium est quod fugiendum sit, quia fugiendum est atque malum, omne id bonum est. Est igitur bonum voluptas. Neque enim ita procedit refutatio, vt dissoluebat Speusippus: Vt maior res minori contraria est & pari, ita

voluptatem dolori esse contrariam. Neque enim dicas voluptatem, idem quod malum quoddam esse. Nec certè quicquam prohibet: quin sit aliqua voluptas summum bonum, tametsi nonnullæ numerantur in malis: vt nihil vetat aliquam scientiam esse opinionem, etiam si malæ sunt & perniciosæ aliquæ. Quin potiùs si ab vnoquoque habitu proficiscantur sui quidam liberi ac minimè impediti actus, siue in omnium actu sit beatitudo, siue in eorum aliquo, si modò non sit impeditus, eum profectò necesse est maximè expeti. Atqui hoc ipsum est voluptas. Ita erit summum bonum quædam voluptas, etiam si multæ sint in malis, atque adeò, si ita vis, in malis simpliciter. Ob eámque causam, beatam vitam, etiam iucundam & suauem ducunt omnes. Et voluptatem certè cum beatitudine non iniuria connectunt, & veluti in beatitudine implicant. Nullus enim actus perfectus est, si impeditus sit. Beatitudo autem vndique perfectũ quiddam & absolutum ponitur. Quocirca corporis bonis & externis, adeóque fortuna ipsa eget beatus, vt ne eius actiones impediri possint. Qui autem beatum eum dicunt, qui rota torqueatur, maximísque opprimatur calamitatibus, dum modò vir bonus sit: siue sponte sua, siue inuiti ita loquentur, nihil dicunt. Quoniam autem fortuna indiget, idcirco videtur quibusdam εὐδαιμονία, id est, fœlicitas, idem esse quod εὐτυχία, id est, secunda fortuna. At non ita est, quandoquidem etiam hæc, si est immoderata & immensa, impedimento est beatæ vitæ: nec iam fortassis prosperitatem ac secundam fortunam appellari æquum est. Est enim eius à beata vita modus terminúsque petendus. Quod verò omnes & belluæ & homines sequntur vouluptatem, id quo-

que argumento eſt, eam eſſe ſummum bonum.

Fama etenim vana eſſe nequit, quam multa per
Turba hominum celebrat. [orbem

Sed quoniam eadem neque eſt, neque videtur natura optima, nec habitus optimus, idcirco non eadem omnes ſequuntur voluptatem: ſed tam n voluptatem omnes. Fortaſſe etiam ſequuntur omnes non quam putant, aut quam ipſi potiſſimum probarent, ſed eandem. Eſt enim natura diuinum quiddam inſitum omnibus: ſed nominis hæreditatem ſibi vendicarunt ad corpus pertinentes voluptates, propterea quòd ſæpiſſimè iis ſe dedunt homines, & earum omnes ſunt participes. Quoniam ergo hæ ſolæ notæ ſunt, idcirco eas ſolas eſſe putant. Illud quoque perſpicuum eſt, niſi ſit & voluptas bonum & actus, non iucundè viuere beatum. Quamobrem enim eam deſideret, ſi non ſit in bonis? Quinetiam euenire poterit, vt iucundè, & cum dolore viuat. Neque enim dolor malum eſt, nec bonum, niſi etiam voluptas. Cur ergo etiam fugiat? Neque igitur iucundior ac ſuauior ſit vita hominis virtute præditi, niſi etiam eius ſint operationes huiuſmodi.

Cap. 14. *De iis porrò voluptatibus, quæ ad corpus pertinent, iam diſſerendum eſt nobis, præſertim cùm dicamus nonnullas voluptates eſſe valde expetendas, vt quæ honeſtæ ſunt: at non quę ad corpus pertinent, & in quibus verſatur intemperans. Quid ergo eſt, quòd his contrariis dolores mali ſunt ac moleſti? malo enim quod aduerſatur bonum eſt. An ita bonæ ſunt neceſſariæ voluptates, quia quod eſt non malum, bonum eſt? An ad certum vſque terminum & modum bonæ ſunt? Nam quibus in habitibus, motionibúſque tranſire modum, in eo quod melius ſit, non licet: nec in voluptate*

quæ in illis ineſt licet: in quibus verò licet, & in voluptate. Atqui in bonis corporis eſt aliquid nimium: ac malus ea re quiſque eſt, quia ſequitur nimias voluptates, non quia neceſſarias. Omnes enim modo quodam & epulis delectantur, & vino & Venere: ſed non omnes, vt ratio poſtulat. Contrà fit in dolore. Neque enim quòd hîc nimium eſt, fugit: ſed omnino dolorem fugit quiſque: non enim contrarius eſt dolor ei quod nimium eſt, ſed ei qui quod immoderatum eſt ac nimium perſequitur. Quoniam autem non ſolùm verum dicendum eſt, ſed cauſa etiam adferenda, cur quicque falſum ſit (hoc enim plurimùm confert ad fidem faciendam. Cùm enim apparuit conſentaneum id, propter quod verùm eſſe viſum eſt, quod minimè verum eſt: tum id efficit vt vero magis aſſentiamur) Itaque afferenda ratio eſt, cur voluptates corporis magis expetendæ videntur. Ac primùm quidem certè, quòd depellit atque excutit dolorem, & propter dolores nimios, voluptatem quaſi medicinam quandam ſequuntur, voluptatem inquam immodicam, atque omnino eam quæ ad corpus pertinet. Vehementes autem ſolent exiſtere omnes quæ adhibentur curationes, ideóque expetuntur, propterea quòd ad contrarium compoſitæ & collatæ maiorem ſui ſpeciem adhibent. Non igitur bonum videtur eſſe voluptas. His duabus de cauſis, vt dictum eſt, quòd aliæ ſunt actiones deprauatæ naturæ, aut ab ipſo ſtatim ortu vt belluarum: aut conſuetudine, vt hominum flagitioſorum. Aliæ ſunt velut medicinæ quædam, quia ſcilicet eorum ſunt qui aliquid deſiderant, quibúſque aliquid deficit, & melius eſt adeſſe, quàm gigni. Hæ verò quoniam tum exiſtunt, cùm expletur ac perficitur naturæ deſiderium, id-

BIBLIOTHEQUE DE L'UNIVERSITÉ DE FRIBOURG

circo ex accidente bonæ sunt. Jam verò expetuntur ab iis qui aliis oblectari non possũt, hoc ipso quòd sunt vehementes & validæ. Itaque earum velut sitim quandam sibi ipsi conciliant & comparant. Quæ si non noceant, caret reprehensione: sin noceant, est in vitio. Neque enim suppetunt alia quibus oblectentur. At verò neutro modo affici, vt scilicet neque in dolore sis, neque in voluptate, plerisque molestum est, idque ob suam cuiusque naturam. Sunt enim in perpetuo labore animantia: vt etiam testantur qui de rerum natura habentur sermones: qui cernere & audire non sine molestia esse confirmant, sed assiduitate quotidiana, vt aiunt, consuetudine sentiendi assueuimus. Jtémque in adolescentia homines ita affecti sunt propter accretionem, vt vinolenti: atque adeò hilaris & iucunda est adolescentia. At verò quibili atra naturâ abundant, ij semper requirunt desiderántque medicinam: quòd eorum corpus continenter, assiduéque pungatur, propter suam temperationem: & vehementes semper habent appetitiones. Atque expellit voluptas dolorem, tum ea quæ contraria est, tum quæuis alia, si modò sit vehemens. Atque ob eas causas homines intemperantes fiunt, & flagitiosi. Quæ autem vacant dolore voluptates, earum nullæ sunt exuperantiæ. Quo ex genere sunt quæ ex iis gignuntur, quæ habent suapte natura, non autem aduentitiam oblectationem. Dico autem aduentitiam habere iucunditatem ea, quæ medicinam faciunt, quæque curationis causa adhibentur. Nam quod accidit, vt naturæ desiderio quasi adhibita medicina subueniatur, cooperante eo, quod in nobis adhuc sanum est, nutriendi principio, idcirco effi-

cere videntur voluptatem. Ea verò suapte natura voluptate afficiunt, quæ eiusmodi, hoc est, nihil desiderantis naturæ actionem perficiunt & obsoluunt. Res autem nulla nos semper eadem delectat, quòd non est natura nostra simplex, habétque in se quiddam admixtum dispar sui ac dissimile, quod eam interire necesse sit. Ita si quid agit pars altera, id continuò natura alterius sit alienum. Si quando ad æqualitatem pars vtraque reuocetur, nec iucundum videtur quod agitur, neque molestum. Nam si natura simplex sit alicuius, eadem semper ex actione summam capiet voluptatem. Quapropter semper vna Deus, eáque simplici voluptate perfruitur. Neque enim motionis tantummodo est actus, sed etiam immobilitatis & quietis: & magis est in quiete voluptas, quàm in motu. Fit autem nescio quo vitio hominum, vt, iuxta sententiã poëtæ, rerum omnium nihil iucũdius mutatione, nihil suauius esse videatur. Vt enim homo mutabilis & inconstans est qui est improbus, sic natura quæ mutationem disiderat. Neque enim simplex est, neque proba. Dictum est de continentia, & incontinentia, de voluptate & dolore, tum quid sit eorum vnumquodque, tum quomodo eorum aliqua in bonis sint, alia in malis. Superest vt de amicitia dicamus.

ARISTOTELIS
Ethicorum liber VIII.

ARGVMENTVM.

HOc libro in primis agitur de amicitia inter æquales, deinde inter inæquales; tum de querelis quæ inter amicos exoriuntur. 1. Amicitia est mutua aliquorum beneuolentia, cùm id non ignorent, & alicuius quidem boni gratia. Quod bonum & amabile, quoniam est triplex, honestum, vtile & delectabile, amicitia in tres species rectè distribuitur, honestam, vtilem, delectabilem. Honesta virtutem: vtilis vtilitatem, pecuniam & honores: delectabilis voluptatem in amando consectatur. Prima est vera & per se. Nam viri boni amicos diligunt, quia boni sunt. Hæc manent quandiu amici manent boni, virtus verò stabilis est & permanet. In hanc conueniunt omnia, quæ in amicis requiruntur. Nam & probi sunt & vicissim inter se vtiles, itémque iucundi. Amicitia vtilis & voluptuaria sicut amicitia per accidens, quoniam tales amici diliguntur boni exterioris gratia, id est vtilitatis aut voluptatis. 2. Amicitia inæqualium personarum, est amicitia inter personas, quarum alteram dignitate præcellit, vt patris in liberos, domini in seruum, viri in vxorem. Huic amicitiæ accommodatur amicitia politica, eiúsque genera. Amicitia ciuilis, est amicitia remp. gubernantis ratione eorum, qui eius imperio subsunt. Huius sunt tres species, sicuti sunt tres formæ reip. Monarchia Regis potestas, cui tyrannis: Aristocratia optimatum potestas, cui paucorum potestas: Timocratia ex censu potestas, cui timocratia popularis potestas opponitur. 3. Bonorum amicitia criminationibus caret, quia boni amicos suos diu probarunt, fidéque inter eos maximè viget, nec vllus relinquitur iniuriæ locus aut dissensionis, & vicissim de se bene mereri contendunt. Qui verò bona merendo superior est, nunquam de amico qui non par referat, conqueritur. nam consequitur quod volebat, & sua liberalitate, quam in amicum exercuit, est contentus, nulla spe ductus recipiendi. Nec in delectabilibus amicitiis facilè incidunt querelæ, quia vterque habet quod cupit, & alter potest ab alterius consuetudine abesse, qui non latis iucundus esse videatur; sed maximè reperiuntur in amicitia vtili. Nam vtilitatem spectantes, queruntur se minùs quàm deceat, habere, sempérque postulant aliquid amplius. Itaque considerandæ est persona datoris, vt accipias aut non accipias. In his amicitiis quæ vtilitate æstimantur, reddendum est tantum, quantum ab amico acceperis, quin etiam plus eo. Hoc enim est honestum. In amicitiis inæqualium, quorum alter alterum dignitate præcellit, ei qui alterum anteit, reddi meritò debet honor. Ei autem qui indiget, pecunia: vt hoc modo excellentiæ ratio habeatur & egenti subueniatur, in reddendóque seruetur æqualitas pro facultate & viribus.

Cap. 1. *SEquitur vt deinceps de amicitia dicẽdum esse videatur. Nam aut virtus est quædam, aut cum virtute coniuncta. Et præterea ad vsum vitæ est necessaria maximè. Quis enim est qui velit absque amicis vitam degere, in summa etiam omnium bonorum abundantia? Etenim vt*

quiſque maximè opibus, imperio, & potentia excellit, ita amicis maximè indigere videtur. Quis enim eſſet tantus fructus in huiuſmodi proſperitate, ſublata benignitate ac beneficentia, quæ & in amicos extat maximè, & ibi ampliſſimis laudibus afficitur? Aut quo tãdem modo ſine amicis cuſtodiri conſeruaríque poſſit? Quantò enim amplior eſt, tantò periculis maioribus obiecta eſt. In paupertate etiam, cæteríſque aſperis rebus, amicos vnicum ac ſingulare perfugium eſſe exiſtimant. Iam & adoleſcentes in officio retinent amici: & ſenibus ad obſequium præſto ſunt, eáſque vitæ actiones fungendas, quibus propter imbecillitatem deeſſe coguntur: & conſtanti ætati comites ſe ad præclara honeſtáque facinora præbent. Etenim

Si ſimul ire parent bini, — *maiora mente agitare, & plura conficere poſſunt. Ac natura quidem videtur eſſe amicitia inter natos & parentes: quod non ſolùm in hominibus animaduerti poteſt, ſed in auibus etiam, & plurimis animalibus: tum verò inter omnia quæ quodam velut gentilitatis iure ac ſocietate ſunt inter ſe coniuncta: ſed hoc in hominibus eſt multò euidentius. Vnde ita laudibus eos afficimus, qui hominum generi conſulunt, φιλανθρώπους Græcè, id eſt, hominum amantes, appellemus. Cernere etiam licet in peregrinationibus, quàm ſit omnis homo homini propinquus & amicus. Videtur autem etiam ciuitates continere amicitia maiore, quàm iuſtitia in ſtudio eſſe legum latoribus. Amicitiæ enim eſt ſimilis concordia: hanc verò maximè appetunt illi: & ſeditionem, quæ inimicitia eſt, omni ratione exterminant. Et ſi amicitia quidem inter omnes eſſet, nihil eſſet quòd iuſtitiam deſiderarent. At ſi iu-*

ſti eſſent, tamen acceſſionem amicitiæ requirerent. Et profectò inter omnia iura, quod præſtantiſſimum eſt & maximè ius, id amicitia contineri videtur. Neque verò res eſt ſolùm neceſſaria, ſed honeſta etiam atque præclara. Nam & eos laudamus qui amicos diligunt, & amicorum multitudo, præclarum quiddam videtur. Vt id quoque accedat, quod nonnulli etiam viros bonos eoſdem amicos putant. Sed de ea multa ſunt quæ ambigi, & in controuerſiam vocari ſolent. Alij enim eam ſimilitudinem quãdam eſſe ſtatuunt, & amicos ſimiles eſſe. Ex quo prouerbia facta ſint, Pares cum paribus, &, Graculus cum gracula, & cætera generis eiuſdem. Alij contrà qui ſimiles ſint eſſe inimicos, & ita animatos eſſe inter ſe, vt figuli. Atq; horum cauſas longius, & magis ad naturam accommodatè petunt. Euripides quidem, cùm ita ſcribit,

Cùm ſicca tellus eſt, tunc imbrem ipſa expetit:
Cælúmq; ſanctum, cùm refertum eſt imbribus,
Delabi aridæ telluris in ſinum petit.

Heraclitus verò cùm ait, Contrarium vtile, & ex rebus diſparibus ac diſſimilibus pulcherrimum concentum fieri &, diſcordia omnia effici. His cùm multi alij, tum Empedocles aduerſatur. Nam ſimile appetere ſimile. Quæſtiones igitur naturales, quoniam non ſunt huius diſputationis, omittamus: eas verò quæ naturam humanam, quæque ad mores perturbationéſq; pertinẽt, tractemus: veluti, Vtrùm inter omnes locum habeat amicitia, an inter malos eſſe non poſſit. &, Num ſit vnum tantùm genus amicitiæ, non plura. Qui enim vnum eſſe putant, ex eo quod acceſſionem & deceſſionem admittat, non ſatis firmo argumento nituntur.

Acceſſionem enim & deceſſionem multa recipiunt quæ ſpecie differunt, de quibus ſuprà diximus.

Seditionem quæ inimicitia eſt.] καὶ τὴν στάσιν ἔχθραν οὖσαν. Hic ἔχθρα non eſt adiectiuum, ſed ſubſtantiuum idem ſignificans quod inimicitia. Quò magis mirum eſt Argyropilum, & alios quoſdam interpretes hoc non vidiſſe.

Hæc autem fortaſſe planiùs intelligentur, ſi quid ſit Cap. 2. *amabile cognouerimus. Neque enim amari omnia videntur, ſed ea demum quæ amabilia ſunt: cuiuſmodi ſunt bona iucunda & vtilia. Vtilia autem videntur, ex quibus bonum aliquod perſpicitur, aut voluptas comparatur. Quare in eo quod amabile eſt, vel bonum vel iucundum, vt fines quoſdam ſpectamus. Sed vtrùm id quiſque diligat, quod bonum eſt, an quod ſibi eſt bonum, quæſtio eſt. Hæc enim interdum interſe diſcrepant. Idémque de iucundis rebus quæri poteſt. Videtur autem & quiſque amare quod ſibi bonum eſt: & id quidem ſimpliciter amabile eſſe, quod verè ac ſimpliciter bonum eſt: vnicuique verò, quod cuique bonum ſit. Quod autem cuique reuera bonum ſit, non id quiſque diligit, ſed quod eſſe videatur, neque id quicquam refert: quoniam erit amabile, quod bonum eſſe videtur: Cùm autem ab illis tribus omnes cauſæ diligendi proficiſcantur, in eorum dilectione, quæ inanimata ſunt, nomen amicitiæ locum non poteſt habere. Neque enim eſt in illis mutuus amor: nec vllum eorum boni affici volumus. Ridiculum enim ſit, ſi quem dicamus velle, vinum bonis affici, ſed integrum modò ac ſaluum omnes volunt, ad ſuos vſus. Atqui omnes aiũt oportere amicum velle bonis affici: atque id illius cauſa. Qui autem ita aliis benignè volunt, eos beneuolos appellant, ſi idem ab illis viciſſim*

non fiat. Beneuolentiam enim in iis, inter quos est mutua affectio, amicitiam esse dicunt. Sed nunquid eò addendum est, si non sit occulta? multi enim propter probitatis aut vtilitatis opinionem, etiam eos, quos nunquam viderunt, beneuolentia complectuntur: fierique potest vt vicissim illorum aliquis in hunc sit eodem modo animatus. Beneuolentia igitur inter se illi quidem coniuncti videntur esse. Sed quónam modo eos amicos quis dixerit, cùm quemadmodum inter se animati sunt, ignorent? Amicos ergo oportet & mutua se beneuolentia complecti, & se velle vltrò citróque bonis affici, cùm id non ignorent, ídque propter vnũ aliquid eorum quæ dicta sunt.

Cap. 3. *Quæ quoniam inter se specie differunt, dilectiones quoque & amicitiæ different. Tria enim sunt amicitiæ genera, quæ rebus amabilibus pari numero respondent. Est enim suus in vnoquoque genere mutuus amor, haud obscurus, neque incognitus. Et qui inter se diligunt, alteri alteros bonis affici volunt, hoc ipso quòd diligunt. Atque illi quidem qui vtilitatis causa inter se amant, non propter se amant, sed qua bonum aliquid ipsi vtrinque redit. Eadémque est ratio eorum qui amicitias colunt propter voluptatem. Non enim facetos ac festiuos homines propterea diligunt, quia hac quadam qualitate affecti sunt, sed quia ipsos delectant. Ergo qui vtilitatis causa amant, propter sua ipsorum commoda diligunt: & qui ob voluptatem amant, propter suam ipsorum voluptatem amant. nec quem amant, qua is ipse est, amant: sed qua vtilis est aut iucundus. Sunt igitur hæ amicitiæ ex accidente: quoniam non idcirco qui diligitur, colitur: quia is ipse est, sed quia aut*

vtilitatem aliquam ſuppeditat, aut voluptatem. Quocirca facilè tales amicitiæ diſſoluuntur: quippe cùm ſimiles ij minus permaneant. Etenim ſi iam amplius non ſint voluptati vel vtilitati, amare deſiſtunt. At vtilitas non permanet, aliáſque alia ſolet exiſtere. Quare eo quod amicitiam conſtituerat ſublato, amicitia etiam dirimitur, quaſi eſſet cum illis rebus contracta amicitia. Hoc autem genus amicitiæ maximè in ſenibus cernitur (non enim id ætatis homines voluptatem ſequũtur, ſed vtilitatem) tum verò in iis qui conſtanti ſunt ætate, atque etiam in adoleſcentibus, quotquot ſunt qui vtilitatis ſtudio ducuntur. Cúmque non admodum eiuſmodi homines familiaritate & vitæ conſuetudine conſociantur (interdum enim ne iucundos quidem ſe præbent) tum ne hanc quidem vitę conſuetudinem deſiderant, niſi inde fructus vtilitáſque capiatur. Manent enim iucundè tantiſper, dum ſperant ſe aliquem fructum eſſe facturos. Atque ad hoc genus quidem hoſpitalitatem referunt. At verò iuuenum amicitia voluptatis cauſa ferrè conſtituta eſſe videtur. Cùm enim animi perturbationibus ducantur, in iíſque vitam denegant, tum ex quo capiant voluptatẽ, quódque præſens ſit, id omne vel ſtudioſiſſimè perſequuntur. Et quia mutata ætate alia exiſtunt, quibus oblectantur, idcirco repentè & amici fiunt, & ab amicitia deſiſtunt. Nam eorum amicitia vnà cum voluptate mutatur, huiuſmodi autem voluptatis cita eſt ac repentina mutatio. Atque etiam adoleſcentes ad inſanum amorem propenſi ſunt. Nam & ex perturbatione, & propter voluptatem, inſani amoris vehementia exiſtit. Itaque & citò diligunt, & ab amore deſiſtunt, ſæpe eodem

die mutata sententia. Hi vnà versari totos dies cupiunt, & vitæ societate coniungi, quòd isto modo eis adsint omnia, quæ ab amicitia expectant. At perfecta amicitia est, qua viri boni & virtute pares inter se coniuncti sunt. Hi enim vltrò citróque bonis pariter se affici volunt, quâ boni sunt. Boni autem sunt per se. Qui autem amicis benignè volunt illorum ipsorum causa ij maximè amici habendi sunt. Sunt enim per se ita affecti animo, non per aliud, & ex accidente. Manebit igitur maximè horum amicitia, quandiu scilicet boni erunt. Ac virtus stabilis, constans, ac permanens res est. Atque etiam simpliciter vterque bonus est & amico. Viri enim boni & simpliciter boni sunt, & vicissim inter se vtiles: itémque iucundi. Qui enim verè boni sunt, iidem & simpliciter iucundæ actiones, & quę sunt eiusdem modi. At bonorum sunt eiusdem modi, vel similes actiones. Porrò autem firma ac stabilis est nõ sine causa hæc amicitia. Concurrunt enim in ea omnia quæ amicis inesse debent. Omnis enim amicitia vel ad bonum dirigitur, vel ad voluptatem: ídque aut simpliciter, ac per se, aut eius quo cum intercedit nobis amicitia. Et omnis quadem inter amicos paritate & similitudine constat: quæ huic per se insunt omnia. In hac enim cũ sint reliqua similia, tum id adest quod per se ac simpliciter bonum est, & quod simpliciter iucundũ, quibus nihil amabilius reperiri potest. Et amare igitur in illis maximè viget, & amicitia, eáque optima. Iure autem rarum est maximè istud genus amicitiæ, quãdoquidem hominum huius generis magna est penuria: & præterea tempore ac consuetudine opus est. Verum enim est prouerbium, Multos modios salis simul edẽdos esse, vt inter se norint. Neque ve-

rò probari, & in amicitiã recipi poßũt, nec amici eſſe, priuſquam habeant quaſi ſigna quædam & notas, quibus vterque alterum amabilẽ eſſe cognoſcat, fidéſq; vltrò citróque perſpecta ſit. Qui verò citò amicitiæ officia viciſſim inter ſe præſtant, volunt illi quidem eſſe amici, nec ſunt tamen: niſi ſint digni amicitia, itaque iudicent de ſe mutuò, exploratúmque habeant. Repentè igitur amicitiæ voluntas naſcitur, amicitia non item. Atq; hæc quidẽ amicitia & tempore & cæteris rebus perfecta eſt: Et hæc omnia atq; adeò ſimilia præſtãtur vltrò citróq; officia: quod potiſſimũ in amicis requiritur.

Tum verò homines corroboratis .) καὶ τῶν ἐν ἀκμῇ καὶ νέων, hic repetendum eſt ex proximo, ἐν τοῖς. vt quemadmodum dixerat ἐν τοῖς πρεσβυτικοῖς, ita hic intelligatur καὶ ἐν τοῖς τῶν ἐν ἀκμῇ καὶ νέων ὄντι, &c.

Viciſſimque reddit parem voluntatem & iucunditatem.] In quibuſdam codicibus eſt εὐηθεῖ, ſed malo cum aliis legere ἡδεῖ: bis enim duobus complexus eſt omnia quæ ab amicis in amicos referuntur officia. Nam in verbo voluntatis complexus eſt honeſtatis & vtilitatis officia.

Quæ autem iucunditatis cauſa conflatur, huius præ ſe Cap. 4.
fert ſimilitudinem. Boni etenim viciſſim ſe inter ſe oblectant. Itémque ea quæ vtilitatibus colitur: ſiquidem qui boni ſunt, tales ſe alter alteri præbent. Tum verò iſtæ amicitiæ permanent diutiſſimè, cùm ab amicis paria vtrinque præſtantur ac ſuppeditantur. Veluti ſi par vtrinque voluptas præbeatur: non ſi ita ſolùm, ſed ſi etiam ab eadem re proficiſcatur. Vt inter feſtiuos ac facetos homines accidit: non vt in amatore & amaſio. Neque enim iiſdem oblectantur iſti, ſed ille amore huius, hic amatoris obſequio & obſeruantia. Deſinente autem ætatis flore, interdum etiam euaneſcit amicitia, cùm alteri tunc non ſit iucunda facies, alter non amplius ab altero colatur. Rurſum autem plerique in amicitia permanent, ſi moribus ſimiles conſuetudine ad-

iuncta, mores consentientes inter se deligant. Qui autem in cupidineis amoribus non voluptatem, sed vtilitates permutant, & minùs diligunt, & minùs diu permanent in amore. Qui verò amici sunt spe quæstus & emolumenti, eorum amicitiam vtilitas commutata dissoluit: quippe qui non se inter se amarent, sed vtilitatem & fructum. Ac voluptatis quidem & vtilitatis causa comparatæ amicitiæ, & malis inter malos, & probis cum improbis, & neutris cum quolibet, intercedere possunt. At perspicuum est, solos viros bonos propter se amicos esse. Mali enim seipsis non oblectantur, nisi quid extet emolumenti. Porrò autem sola bonorum amicitia criminationibus caret, non enim facile est criminibus aliquem oblatis credere de eo quem ipse diu probauit atque perspexit. Præterea & fides inter eos viget: nec vllus relinquitur iniuriæ locus: cæteráque hic adsunt omnia quæ in vera amicitia postulantur. In aliis autem societatibus nihil prohibet hæc talia existere. Quoniam enim homines, eos etiam amicos appellant qui se vtilitatis causa inter se diligunt, vt ciuitates: in quibus societates inire videntur vtilitatis causa: itémque eos qui voluptatis causa inter se amant vt faciunt pueri: certè hos tales nos quoque amicos appellemus. Verum amicitiæ etiam plura genera esse dicamus. Ac primùm quidem & propriè eam quæ inter bonos est, quâ boni sunt: reliquas ex similitudine. Amici enim hoc ipso sunt, quòd boni aliquid, & simile quidpiam hîc repetitur. Etenim quod iucundum est, bonum quidpiam est iis quibus res iucundæ cordi sunt. Neque verò hæ ferè amicitiæ copulatæ reperiuntur in quoquam, nec iidem vtilitatis causa & voluptatis amici fieri solent: quòd non admodum

conuenire in vnum & connecti ſolent, quæ non per ſe, ſed aliena vi & ex accidente conſtant. Cúmque in has ſpecies diſtributa ſit amicitia, improbi quidem amici eſſe poterunt voluptatis cauſa aut vtilitatis: vt qui hac ex parte veris amicis ſimiles ſunt: at boni per ſe ac propter ſe amici ſunt, nẽpe quâ boni. Hi ergo ſimpliciter amici ſunt, illi ex accidẽte, quia his ſunt ſimiles.

Vt autem virtutibus alij ex habitu boni nominantur, alij ex actu & effectu, ſic in amicitia. Alij enim vitæ conſuetudinẽ & familiaritatem adhibentes, & ſe vltrò citróq; oblectant, & vtilitates ſuppeditant. Alij dormientes aut locorum interuallo diſiuncti, non vtuntur amicitiæ officiis illi quidem, ſed ita tamen ſunt affecti animo, vt amicorum munere fungi poſſint. Neque enim locorum interualla funditus amicitiam tollunt, ſed officia & actionẽ. Quòd ſi diuturna abſentia, amicitiæ quoque obliuionẽ adferre atque efficere videtur ipſa abſentia. Ex quo, factum eſt prouerbium, Cap. 5.

Sæpe petiſſe amor eſt per longa ſilentia viſus.

Sed nec ſenes, nec ſeueri idonei ad amicitiam videntur: quippe cùm in iis parum iucunditatis: & nemo poſſit cum eo, qui grauis ac moleſtus ſit, familiaritatem contrahere, nec cum eo in quo nihil eſt iucunditatis. Nam & moleſtiam natura fugit, & iucunditatem expetit maximè. Qui autem alteri alteris probati ſunt, nec vitæ conſuetudine & familiaritate vtuntur, beneuolis ſunt, quàm amicis ſimiliores. Nihil enim eſt tam amicorum proprium, quàm vitæ ſocietas & communio. Vtilitatem enim expetunt inopes: conſuetudinem vitæ, etiam beati: quandoquidem eos ſolitarios eſſe minimè conuenit. Atqui vnà vitam degere non poſſunt qui

nec iucundi sunt, neque iisdem rebus delectantur: quod so-dalitas maximè videtur cõtinere. Ergo amicitia est ea maximè, quemadmodum sæpe dixi, quæ est inter bonos. Est enim amabile & optabile simpliciter, ac per se bonum est, aut iucundum: cuique autem quod sibi quisq; tales esse arbitratur. At probus probo utriusq; causa est amabilis. Sed amor dilectióve perturbationi similior est, amicitia habitui: quoniam amor etiam est erga inanimata. At redamare non est sine agendi consilio: ab habitu autem proficiscitur omne agẽdi consilium. Bonis quoque affici volunt quos amant illorũ causa: non perturbatione, sed animi affectu & habitu. Et quibus amici chari sunt, ij sua ipsorum bona diligunt. Cùm enim vir bonus, amicus fit alicui, tum in bonis eius cui est amicus, ducitur: Quocirca uterque quod sibi bono est, amat: vicissimque reddit parem & voluntatem & suauitatem: quandoquidem amicitia, quædam æqualitas dicitur. Hæc igitur in amicitia proborum insunt maximè.

Cap. 3. *Inter seueros autem & senes eò rarius amicitia intercedit, quò morosiores sunt & difficiliores, minúsque delectantur vitæ communione & consuetudine. Nam & amicitiæ sunt hæc propria maximè, & illius hæc efficientia sunt. Itaque amicitia citò adolescentes instituunt: senes non item. Neque enim eos charos habere possunt, quibus non delectantur. Quod idem in seueris ac tristibus dicendum. Et quanquam hi tales homines beneuolentia inter se coniunguntur: quippe qui & vicissim se inter bonis affici velint, & cùm opus est, officiosi sunt & iuuant: tamen amicitia inter eos locum non habet: quòd una familiariter uersari nequeant, nec alter altero oblectatur. Quæ in ami-*

titia maximè locum habere oportet. Sed cum multis perfecta amicitia esse non potest: sicuti fieri nequit, vt insano amore vnà plures colantur. Etenim hoc in quadam excellentia & exuperatione positum. Quod verò tale est, cum vno natura intercedere solet. Eidem porrò simul multos valde probari ac summè placere, non facile est: vt nec fortasse bonum esse. Experiundum etiam est, & consuetudo adiungenda: quod per difficile est. Vtilitatis sanè causa & voluptatis, vt quis multis placeat, vsuuenire potest: quod & huius generis multi sunt, & breui tempore possint, quæ huc pertinent, omnia suppetere. Horum autem generum magis illa nomen videtur obtinere amicitiæ, quæ delectatione & iucunditate vitæ dirigitur, cùm eadem vtrinque extabunt officia, & alter altero delectatur, aut iisdem rebus mouentur, quales sunt iuuenum amicitiæ. Habent enim eiusmodi amicitiæ ingenuum ac liberale aliquid magis quàm aliæ. At verò quæ emolumentis & fructibus colitur, amicitia est hominum propria forensium ac sordidorum. Et beati quidem vtiles amicos non desiderant, iucundos desiderant. Viuere enim cum aliquibus cupiunt. Et molestias ferunt illi haud longo tempore: perpetuò verò, ne ipsa quidem bona, si molestiam afferant, nemo perferre possit. Itaque amiços suaues ac iucundos quærunt, ac foriasse & bonos quærere oportuit: vt qui & per se tales sunt, & ipsis etiam amicis tales. Sic enim eis ea suppetẽt omnia, quæ amicis adesse debent. Qui verò potentia & imperio valent, ij amicis distinctis ac disparibus vtuntur. Ex aliis enim vtilitates percipiunt, ex aliis voluptates: quæ duo non ferè in eodem reperiuntur. Neque enim eos quærunt

qui sint suaues & iucundi cum virtute, neque eos qui sint ad res honestas viles: sed in illis hoc solùm requirunt, vt faceti ac festiui sint, vt qui iucunditatis studio teneantur: in his, vt apti ac solertes sint ad exequenda imperata. At qui non magnopere solent hæc in eodem inesse. Dictum est, virum quidem bonum, eundem simul vtilem & iucundum esse: sed qui huiusmodi est, non fit amicus opibus & potentia superiori, nisi & virtute ille superetur. Sin minùs, non fit qui inferior erat proportione æqualis. Illius verò generis non admodũ multi solẽt existere. Ergo in æqualitate hæc de quibus dixi amicitiæ cernuntur: nam eadem ab vtrisque extat in alterum, & sibi ea vicissim optant, aut verò aliud cum alio, vt voluptatem vtilitate, commutant. Hoc verò etiam dictum est, eas non æquè esse amicitias, nec diu permanere. Porrò autẽ videtur ex similitudine & dissimilitudine eiusdem rei, & esse amicitiæ, & non esse. Videntur enim amicitiæ, propter similitudinem quam habent cum ea quæ virtute dirigitur. Cùm enim iucunditas in vna, in altera insit vtilitas, vtraque hæc insunt in illa. Quia verò illa criminationibus caret, stabilísque ac firma est, hæ autem decidunt celeriter, alíisque multis differunt non videntur rursus amicitiæ, propter dissimulationem quæ iis est cum illa.

Quæ in amicitia maxime locum habere oportet.] In Græcis codicibus multis legitur ἃ δὴ; cùm legendum sit ἃ δεῖ.

Est hominum propria forensium ac sordidorum.] ἀγοραῖοι contrarij sunt ἐλευθέροις passim apud Arist. Ergo vt illi Latinè appellantur liberales & ingenui, ita hi sordidi appellandi sunt: & vt Cic. sæpe appellat, forenses homines. Quod vocabulum propius accedit ad significationem τῶν ἀγοραίων: sic enim appellati sunt ἀπὸ τῆς ἀγορᾶς.

Cap. 7. *Est verò & aliud genus amicitiæ, quod in excellentia & præstantia cernitur: qualis est patri cum liberis, omni-*

nóque ſeniori cum iuniore: itémque viro cum vxore, & cui eſt in alios imperium cum iis quibus præſit. Quæ etiam differunt inter ſe. Non enim eadem eſt parentibus cum liberis, & iis qui præſunt aliis, cum iis qui in eorum ſunt imperio. Sed nec patris cum filio eadem eſt, quæ filij cum patre, nec eadem viro cum vxore, vxorique cum viro. Eſt enim horum cuique virtus diuerſa, diuerſum officium, Sunt verò & cauſæ diligendi diuerſæ. Vnde efficitur, vt & diuerſi ſint amores, & diuerſæ amicitiæ. Nec eadem profectò vtrique ab altero officia tribuuntur, nec id quidem æquum ſit poſtulare. Cùm verò ea tribuunt liberi parentibus, quæ debent procreatoribus, parentes vicißim liberis, quæ debent ex ſe natis: tum inter eos ſtabilis & proba amicitia exiſtet. Debet autem ex proportione in omnibus amicitiis quæ in excellentia ſunt, charitas exiſtere. Veluti maior ei charitas debetur qui melior eſt, quàm ipſe alteri debeat, magíſque amari debet, quàm amare: quod idem in eo dicendum, qui vtilior ſit eodémque modo in ſingulis aliis. Quandò enim charitas dilectióve pro dignitate præſtatur, tum exiſtit quodam modo æqualitas, quæ ſanè propria eſt amicitiæ. Sed non eodem ſe habere modo videtur aqualitas in iure reddẽdo & in amicitia. Eſt enim in iuris æqualitate primo loco eius, quod pro dignitate cuique tribuitur, habenda ratio: ſecundo, vt tantumdem vnus auferat atque alter. At in amicitia contrà, primùm locum quantitatis: ſecundum dignitatis æqualitas tenet. Quod ex eo perſpici poteſt, quia ſi magna exiſtat inter aliquos virtutis, vel vitij, vel facultatum, vel alicuius alterius diſtantia, nõ iam in amicitia permanent, nec dignos quidem ſe iudicãt. Quod

in diis eſt euidentiſſimum. Hi enim bonis omnibus longè plurimùm excellunt. Id quoque etiam in regibus cernere licet: quorum amicitia bis multò inferiores homines ſe indignos putant. Et viles, nihilíque homines ſe indignos cenſent, qui optimis viris aut ſapientiſſimis ſint amici. Atque in iis quidẽ terminus certus cõſtitui non poteſt, quatenus hîc progrediendum ſit, vt amicitia inſtitui & conſeruari poſſit. Nam multa quidem certè eximi poſſunt, & adhuc conſtabit amicitia. At ſi magna ſit diſtantia, vt Dei, non iam manet amicitia. Ex quo exiſtit quæſtio, num aliquãdo amici velint ſuos amicos bonis quàm maximis affici, vt Deos eſſe. Neque enim iam ſibi amici futuri ſunt, quare nec in ſuis bonis numerari: nam in bonis amicorum amici numerantur. Quòd ſi præclarè illud dictum eſt, ſuum quemque amicum bonis affici velle illius cauſa, profectò permaneat oportet amicitia, qualiſcunque ille futurus ſit. Ipſi ſanè vt homini maxima bona ille quidem optabit, ſed fortaſſe non omnia. Se enim quiſque maximè vult bonis affici.

Cap. 8. *Sed plerique videntur diligi malle, quàm diligere, propter ambitionem. Itaque multi cupidi aſſentatorum reperiuntur. Eſt enim amicus inferior aſſentator omnis, aut certè talem ſe ſimulat, ſéque magis diligere, quàm diligatur. Hoc autem ipſum diligi haud procul abeſt ab eo, quod eſt honore affici, cuius certè cupiditate multi inflammantur. Neque verò hominem propter ſe expetunt, ſed ex accidente. Plerique enim gaudent ſe à viris potentioribus honore affici: quòd ſperant, ſi qua re egeant, fore vt ab iis conſequantur. Interim verò quaſi nota & argumento accipiendi beneficij, honore lætantur. Alij cùm à probis &*

doctis hominibus honorem ſibi tribui cupiunt, ſuam de ſe-ipſis confirmare volunt opinionem. Gaudent igitur ſe bonos eſſe, credentes eorum iudicio qui de ſe ita loquuntur. At charos eſſe ac diligi propter ſe gaudent. Vnde videri poſſit melius eſſe quàm honore affici: atque per ſe expetenda eſſe amicitia. Porrò ipſa in eo magis eſt, vt ames, quàm vt ameris, Quod ipſum matres declarant, quæ hoc ipſo quod amant, magnam capiunt voluptatem. nonnullæ enim ne dant quidem alteri nutriendos ſuos liberos, atque eos quidem vltrò ac ſponte diligunt, nec ab iis viciſſitudinem amoris poſtulant, ſi fieri vtrunque non poſſit: ſatíſque ſibi fieri putant, ſi præclarè cum illis agi perſpiciant. Quinetiam eos diligunt, quanuis non poſſint matri propter ignorantiam tribuere quæ debent. Cúmque in eo magis cernatur amicitia vt amemus, iíque homines laudantur, quibus chari ſunt amici, conſentaneum eſt, amicorum virtutem eſſe ipſum amare. Quare qui hoc faciunt pro dignitate amici ſtabiles conſtantéſque ſunt habendi: eorúmque firma ac ſtabilis amicitia eſt. Iſto verò modo etiam qui diſpares ſunt, maximè ſint amici. Ita enim exequantur: æqualitas autem & ſimilitudo quædam, amicitia eſt. Eſt maximè quidem eorum ſimilitudo, qui virtute ſimiles ſunt. Hi enim cùm per ſe ſtabiles ſint & conſtantes, eiuſdem modi etiam ſe inter ſe præbent. Nec aut flagitia deſiderant, aut miniſtri eorum ſunt: quinetiam ea potiùs arcent & reprimunt. Probos enim nec ipſos peccare decet, nec amicos ſinere vt adminiſtri ſint flagitiorum. At verò improbi & flagitioſi, cùm nihil firmum, nihil ſtabile & cõnſtans habeant (nam ne ſui quidem ſimiles permanent.)

tum breui tempore amicitias colunt, vicissim sese suis flagitiis & improbitate oblectantes: illi autem qui vtilitatibus amicitias dirigunt, quique voluptate, diutius colunt amicitias. Nam amici sunt tandiu, quandiu alter alteri voluptates & vtilitates suppeditant. Ex contrariis verò ea maximè constare videtur amicitia, quæ vtilitatis causa comparatur: vt egens locupleti, docto insçius. Quæ enim re eget quisque, eam cùm sibi dari cupit, aliam dat vicissim. Quod ad genus trahere ac transferre licet amatorem & amasium, formosum ac deformem. Quocirca ridiculi interdum videntur amatores, qui suo in amasios suos amori illorum erga se amorem æquum censent pariter respondere: & tantumdem amari postulant, quantum amant. Qui sanè si pariter digni amore sunt, fortassis æquum postulant. Sin nihil tale habeant, sit ridiculum. Fortasse autem nec contrarium appetit per se contrarium, sed ex accidente. Verùm medij est appetitio, quandoquidem id est quod bonum est. Vt sicco non est ea appetitio, vt id fiat quod humidum est, sed ad medium peruenire: quod idem in calido, & cæteris dicendum. Sed hæc quidem quoniam non sunt huius disputationis, missa faciamus.

Alijcùm à probis & doctis honorem.] εἰδώς contrarium est ἀμαθεῖ, vt ex verbis Arist. paulò post sequentibus apparet, ἐξ ἐναντίων δὲ μάλιστα μὴ δοκεῖ ἡ διὰ τὸ χρήσιμον γίγνεσθαι φιλία, οἷον πένης πλουσίῳ, ἀμαθὴς εἰδότι. Ne quis existimet ex loco Arist. quinto cap lib. 1. in quo videtur idem dicere quod hic, εἰδότας hic significare eos quibus noti sumus.

Cap. 9. *Videntur porrò, vt initio diximus, circa eadem versari, & inter eosdem esse ius atque amicitia. In omni enim societate ius quoddam intercedere videtur, & amicitia quidem certè. Itaque tanquam amicos appellãt eos quibuscum nauigant & militant. Itémque eos omnes quibuscum a-*

liam quandam ineunt societatem: & quatenus homines inter se communione aliqua consociati sunt, eatenus amicitia inter eos constat. Nam & iuri inter eos eatenus locus est. Ac rectè profectò ait prouerbium, Amicorum omnia communia: quandoquidem in communione consistit amicitia. sunt autem fratrum & sodalium communia omnia, certa & separata reliquorum: & aliis quidem plura, aliis pauciora. Nam & amicitiarum aliæ magis, aliæ minùs sunt amicitiæ. Sed & iura inter se discrepant. Neque enim eadem sunt parentibus cum liberis, quæ fratribus inter ipsos: nec inter sodales eadem quæ inter ciues. Similitérque in aliis amicis. Sunt igitur & aliæ atque aliæ iniuriæ omnibus inter ipsos, atque hæ pro amicorum gradibus accessionem capiunt: Vt socio grauius est adimere pecuniam, quàm ciui: & fratri non opitulari, quàm exterro: & patrem verberare, quàm quemuis alium. Jus autem vnà cùm amicitia augeri solet: quippe cùm inter eosdem consistant, & æquè latè pateant. Sunt autem omnes societates velut quædam partes ciuilis societatis. Conueniunt enim homines emolumenti alicuius causa, & vt aliquid suppeditent quod ad vitæ vsum cultúmque pertineat. Et sanè societatem ciuilem iam ab initio vtilitas & coniunxit & continet. Hoc enim legumlatores spectant: & id demum ius esse dicunt, quod publicè prodest. Cæteræ igitur societates suas quæque vtilitatem exoptant: vt nautæ eam quæ nauigationi proposita est ad conficiendas pecunias, aut huius generis aliud quippiam: & commilitones eam quam spectat res bellica, siue pecuniarum, siue victoriæ siue alicuius vrbis potiundæ cupiditate ducantur. Jtémq; tribules &

populares. Quanquam nonnullæ ſocietates voluptatis cauſa conſtitui videntur, vt epulonum & eorum qui ſymbolas ad conuiuia conferunt: Hæ enim ſacrificij cauſa & conuictus fieri ſolent. Omnes porrò hæ ciuili ſubiectæ videntur. Non enim ciuilis conſociatio id quod in præſens prodeſt, ſed quod in omnem vitam ſpectat atque expedit. Qui verò ſacra faciunt, atque in iis conuẽtus, ij cùm diis honorem tribuunt, tum ſibi ipſi ceſſationẽ ſuauem & iucundam comparant. Conſtat enim priſca ſacrificia & conuentus olim fieri ſolitos, poſteaquam fruges collectæ erant, vt primitias quaſdam: Nam id maximè temporis ceſſabant. Hoc igitur apparet, omnes ſocietates partes eſſe ciuilis. Societates verò cuiuſque generis, ſui etiam generis amicitiæ conſequuntur.

Cap. 10. *Rei autem publicæ tria ſunt genera, totidémque ab illis defectiones, & veluti egreſſiones, quaſi earum euerſiones & pernicies. Sunt autem Reſpub. hæ, regia poteſtas, optimatum principatus, & tertia quæ ex cenſu nominatur, quàm aptè τιμοκρατίαν, hoc eſt, ex cenſu poteſtatem appellari licet: quam eandem plerique communi nomine rempub. ſolent appellare. Harum optima eſt regum, deterrima timocratia. Defectio à regia poteſtate tyrannis dicitur. in vtriſque enim vnus præeſt, ſed tamen inter eas permultum intereſt: Tyrannus enim ſuis, rex eorum quibus præeſt commodis, vtilitatíque ſeruit. Neque enim rex habendus eſt qui ſe ipſe non eſt contentus, quíque bonis omnibus minùs excellit. Qui verò talis eſt, is cùm nullo egebit, tum rationem nullam ducet commodorum ſuorum, ſed eorum quibus imperat. Nam qui talis non ſit, eum ſorte delectum quendam potiùs, quàm regem appellare conue-*

nit. Huic aduersatur tyrannis: siquidem sibi suisque rationibus consulit. Quod magis perspicuum est, eam esse deterrimam. Quod enim rei optimæ contrarium est, idem pessimum est. Ex regali autem potestate in tyrannidem respub. delabitur. Vitium enim singularis principatus est tyrannis: & rex vitiosus ac deprauatus, tyrannus efficitur. Ex eo autem Reip. statu qui est potestate optimorum, in eum fit mutatio, in quo pauci præsunt, idque culpa & vitio principum, qui res ciuitatis non distribuũt pro dignitate: sibique vel omnia, vel maxima commoda sumunt, & magistratus semper ad eosdem deferunt, quòd plurimi faciant diuitias. Ita pro optimis & æquissimis pauci, iique vitiosi imperant. Quæ verò ex censu potestas nominata est, in popularem conuertitur. Sunt enim hæ finitimæ. Nam ea quoque quæ est ex censu potestas, est multitudinis: & pares sunt qui censi sunt. Sed quoniam popularis potestas paulùm à specie Reip. discedit, minimè vitiosa est. Ac Reip. quidem status hoc ferè pacto mutari solent. quòd sic & minimum & facillimè transmutantur. Earum autem similitudinem & quasi exempla licet in familia cernere. Nam quæ patris est cum liberis societas regni speciem præ se fert. Patri enim curæ sunt sui liberi. Vnde etiam Homerus Iouem patrem appellat. Debet enim regia potestas paternum imperium referre. Quod quidem apud Persas in tyrannidem versum est. Liberis enim suis quasi seruis vtũtur. Est etiam domini in seruos tyrannicum imperium: puippe in quo domini vtilitas agitur. Atque hoc quidem iustum est, ac rectum imperium: illud Persicum, iniustum ac peruersum. Diuersi enim diuersa habent imperia. Viri

autem cum vxore societas præse fert quandam optimatum potestatem. Nam pro dignitate vir imperat & in iis rebus quæ viro dignæ sunt: quæ autem fœminam decent, eas illi tribuit. Quòd si in omnibus præsit vir ac dominetur, in paucorum dominatum fit mutatio: quoniam præter dignitatem suam facit, & non quatenus est præstantior. Verùm interdum vsuuenit, vt dominẽtur vxores, cùm amplum habent patrimonium. Non igitur tum imperia virtuti deferuntur, sed diuitiis & facultatibus, quemadmodum in paucorum dominatu. At timocratiæ similitudinem refert, quæ fratribus inter ipsos coniunctio est. Sunt enim pares, nisi quoad sunt dispari ætate. Itaque si magna sit ætatis distantia, non iã amicitia fraterna constituitur. Sed in iis maximè familiis viget popularis potestas, quæ vel domino carent, quòd ibi omnes ex æquo imperant: vel in quibus est imbecillus dominus, & licentia concessa omnibus.

Cap. 12. In quoque autem Reip. genere eatenus amicitia locum habere cernitur, quatenus iuri in iis locus est. Regis quidem cum iis quibus imperat amicitia, in excellentia quadam beneficiorum consistit. Bene enim de suis meretur. Siquidem cùm bonus sit, id magna diligentia procurabit, vt sint quàm beatissimi, quemadmodum pastori oues curę esse solent. Vnde etiam Homerus Agamemnonem pastorem populorum vocauit. Quo etiam in genere est paterna amicitia, sed magnitudine beneficiorum præstat. Pater enim est qui, quod omnium maximum censetur, filiis vt sint causa est, & alimenti & eruditionis. Quæ eadem etiam tribuuntur maioribus. Naturâ enim præest & pater liberis, & progenitores nepotibus, & rex iis apud quos regnat. Hæ autẽ ami-

titiæ etiam in excellentia quadam præstantiáque cernun-
ur. Ideóque parentes iusta ꝟeneratione prosequimur. Et
ius ergo inter eos intercedit, non ꝟt eandem ꝟtrinque præ-
stantur, sed ꝟt pro cuiusque dignitate: præsertim cùm hoc
etiam modo inter eos locum habeat amicitia. Eadem au-
tem amicitia est ꝟiro cum ꝟxore, quæ est in potestate o-
ptimorum. Virtutis enim habetur ratio, & optimo cuique
semper maxima quæque bona, cuique pro dignitate tri-
buuntur. Quæ eadem est in eò iuris ratio & sententia.
At ꝟerò fratrum inter ipsos amicitia similis est sodalium
amicitiæ. Sunt enim pares & coætanei: cuiusmodi in ho-
minibus, iidem ferè mores sunt, eadem studia, iidem affe-
ctus. Huic autem finitima ea est, quæ ꝟiget in censuum
potestate. Pares enim ciues esse ꝟolunt, ac probi: ꝟicissim-
que imperare, & id æqualiter. Eodem ergo modo se ha-
bet & eorum amicitia. Sed in corruptis Rebusꝑublicis quæ-
que de recto statu discesserunt, ꝟt iura minùs habent loci,
sic etiam amicitiæ: atque in ea quæ est pessima, minimum.
In tyrannidem enim aut nullus, aut certè perexiguus locus
est amicitiæ. Inter quos enim nihil commune est princi-
pi cum eo cui præest, inter eos nulla potest intercedere a-
micitia: quando ne ius quidem, nisi fortè quale est artifi-
cum instrumento, & animo cum corpore, & hero cum
seruo. Hæc enim iuuari & commodis quibusdam affici,
& iis qui illis ꝟtuntur, possunt: at amicitia nulla potest in-
tercedere, nec ius ꝟllum cum rebus inanimis: sed nec cum
seruo quidem aut boue, immò ꝟerò nec cum seruo qui-
tenus, qua seruus est. Nulla est enim nobis cum illo commu-
nio: cùm præsertim seruus instrumentum sit animatum:

& instrumentum sit seruus animatus. Qua igitur seruus, nulla est nobis cum eo amicitia, sed qua homo. Omni enim homini cum iis omnibus videtur iuris quædam societas esse, inter quos possit esse legis conuentorúmque communio. Ita etiam amicitia, quatenus homo est. In tyrannide autem exigua est amicitiæ iurísque cõmunio: in statu populari maxima. Multa enim inter homines æquales communia.

Cap. 12. *In societate igitur & communione, vt diximus, omnis amicitia consistit. Verùm hinc eam, quæ est inter cognatos, & quæ est inter sodales, excludere liceat. Quæ autem ciuibus, tribulibus, & hominibus vnà nauigantibus inter ipsos est amicitia, quæque sunt eius generis, eæ socialibus sunt similiores: quippe quæ quodam velut pacto constare videantur. Quibus etiam hospitalem adscribere licet. Cognatorum autem & sanguine propinquorum apparet multiplicem esse amicitiam, quæ omnis à paterno pẽdeat. Nam & parentes charos habent liberos, tanquam aliquid sui: liberi verò suos parentes, tanquam aliquid illorum. Atqui magis sciunt parentes quos procrearunt, quàm nati se ab illis procreatos: coniunctiúsque ac propinquius est quod procreatum est ab aliquo ei quod procreauit, quàm idipsum quod generauit ei quod procreatum est. Quicquid enim est quod ab alio profectum est, ei propinquum & familiare est, vnde natum est, vt dens, aut pilus, & quidquis aliud, ei quod habet ipsum: illorum autem nihil ei vnde ortum est, aut certè minus, idque progressu temporis. Nam parentibus quidem liberi simul ac orti sunt chari sunt: at liberis parentes, non nisi progrediente ætate, cùm intelligentia & sensu iam valent. Ex quibus perspicuum est etiam, quid causæ sit,*

cur in matribus maior sensus amoris soleat existere. Parentes igitur suos liberos vt seipsos amant. Nam cùm sint orti ex iis, quasi alteri iidem censentur, ob seiunctionem. Natis verò parentes chari sunt: vt ab illis procreati. Fratres verò idcirco inter se diligunt, quòd ex iisdem orti sunt parentibus. Nam illud ipsum, quòd ab iisdem parentibus orti sunt, illos inter se vnit, ac velut eosdem efficit. Idcirco eundem sanguinem eandémque stirpem, cæteráque generis eiusdem, prædicant. Sunt igitur in diuisis etiam seiunctísque rebus quodam modo iidem. Magnum verò est etiam ad amicitiã momentum, vna esse educatos, & ætate æquales esse. Nam vt prouerbio fertur, æqualis æqualem delectat: & vitæ consuetudine ac familiaritate fiunt sodales. Quocirca sodalium amicitiæ, fraterna similis est. Patrueles autem, reliquíque cognati ob eam etiam causam coniuncti inter se copulatíque sunt, quod scilicet ex eisdem nati sunt. Aliique eorum propinquiores sunt, alij alieniores, quòd vel propiùs parentem & generis auctorem attingant, vel ab eo absint longius. Quæ autem est natis cum parentibus amicitia, & hominibus cum diis ea constituta est, tanquam cum bono atque præstanti. Optimè enim de nobis meriti sunt, nósque maximis beneficiis affecerunt: præsertim cùm & vt simus, & vt nutriamur, causæ sint, & vt erudiamur procreati. Accedit etiam huc suauitas quædam maior atque utilitas, quàm in alienorum amicitia: quo vitæ inter eos arctior est communio. Insunt etiam in fraterna amicitia, eadem omnia quæ in sodalium: ac multò etiam magis in probis & omnino similibus: quo coniunctiores sunt, arctiúsque se inter se ab ineunte ætate diligunt: quóque mori-

bus ſunt ſimiliores ij, qui ab iiſdem procreati ſunt, vnà educati, eadem diſciplina eruditi atque inſtituti: quibus etiam accedit comprobatio diuturna, maximum & arctiſſimum vinculum. Porrò eadem proportione inſunt in reliquis cognatis ea omnia quæ ad amicitiam pertinent. Sed inter virum & vxorem natura peperiſſe amicitiam videtur. Homo enim naturâ eſt ad coniugium propenſior, quàm ad ciuilem ſocietatem: quo prior eſt domus, magíſque neceſſaria, quàm ciuitas: & quo eſt animantibus procreatio communior. Ac beſtiarum quidem ſocietas eatenus modò progreditur: homines verò non procreandi modò cauſa vnam in domum conueniunt, ſed eorum etiam parandorum quæ ad vſum vitæ pertinent. Statim enim diſpertita ſunt officia, ſuntque alia viri, alia vxoris propria. Proſunt vterque alteri, atque vicißim opitulãtur, ſua in cõmune conferẽtes: ob eámq; cauſam & vtilitas quædã in hac tali amicitia, atque ſuauitas ineſſe videtur. Qui ſi probitatem ad eã attulerint, virtute conſtituta videri poteſt. Eſt enim vtriuſque virtus propria, qua ſe oblectare poſſint. Et quoniam nati liberi vinculum quoddam videntur, idcirco qui liberis carent, faciliùs diſſociãtur. Nam liberi commune ſunt vtriuſque bonum: quod verò commune eſt, omne coniungit & continet. Quomodo autem vita degenda ſit viro cum vxore, omnínque amico cum amico, hoc quærere nihil aliud ſit, quàm quid inter eos iuris intercedere debeat. Neque enim idẽ ius eſt amico cum amico, & cum extero, & ſodali, condiſcipulo.

Cap. 13. *Cùm autem tria ſint (vt initio dixi) amicitiæ genera, & in vnoquoque genere alij ſint amici in æqualitate conſtituti, alij quadam excellentia. (Nam & qui pa-*

riter boni sunt, fiunt amici, & melior deteriori: eodémque modo qui inter se sunt suaues & iucundi: & vtiles commodis inter se emolumentísque conferendis, partim æquales, partim differentes) illi quidem qui æquales sunt, pares esse debent, in amore, cæterísque rebus. Qui verò impares sunt, iis proportione præstantiæ respondendum. Existunt autem criminationes & querelæ in amicitia, quæ fructibus dirigitur vel sola, vel maximè: nec sine causa. Nam qui virtutem in conciliandis amicis sequuntur, vicissim de se inter se bene mereri contendunt: hoc enim virtutis & amicitiæ est proprium. Et quia certatim id contendunt, ac velut de eo inter se decertant, ea re nec criminationes incidunt, nec pugnæ. Neque enim eo quisquam offenditur, cui charus sit, quíque de se bene mereatur: quinetiam si gratus est, ei refert gratiam, vicissímque bene meretur. Qui verò bene merendo superior est, quia consequitur quod volebat, nunquam de amico conqueritur. Vterque enim quod bonum est, expetit. Ne in iis quidem ferè quæ voluptatis causa comparantur, incidunt. Si enim familiaris vitæ consuetudo, id est, quo oblectantur, simul vtrique id contingit quod cupit. Et ridiculus sanè videatur, si quis eum accuset, cuius consuetudine minùs delectetur, cùm liceat ab eius abesse consuetudine. At verò quas amicitias vtilitas constituit, eæ plenę sunt obiurgationum & querelarum Nam qui ste emolumenti vsu & consuetudine implicati sunt, semper plura desiderant, sempérque se minus habere putant, quàm par sit: queruntúrque se non tam multa consequi, quanta requirunt, cùm digni sint. Qui autem benignè faciunt, non possunt tam multa suppeditare quàm sunt mul-

ta quibus egent, qui accipiunt. Sed videtur vt ius duplex est, alterum non scriptum, alterum legitimum: sic amicitiã, quæ vtilitatis causa comparatur, duplicem esse: vnámque moribus, alteram legibus constare. Oriuntur ergo querelæ tum maximè, quando non eadem amicitia obligatio dissoluitur, qua contraxerunt. Ac ea quidem amicitia, quam legalem diximus, certa obligatione & veluti constitutis verbis constat: & alia sordida est, cùm de manu in manum res traditur: alia liberalior & honestior, cùm ad tempus differtur, sed pactione adhibita quid pro quo reddendum sit. Certum in hac quidem est quid debeatur, non dubium sed morem & cunctationem benignam & amicam habet. Itaque de iis apud quosdam nullæ dantur actiones, nulla iudicia: sed æqui boni consulere censent oportere eos qui fidem alterius secuti, rem cum ipso contraxerunt. At verò quæ moribus constat, certa obligatione & verbis constitutis, ac velut dicta lege non constat: sed tanquam amico donatur, aut alij qualicunque. Par autem aut plus eo exigit, quasi non dederit beneficium, sed fœneratus sit, vtendúmve dederit. Quòd si tum vt contraxerat, ita illi non soluatur obligatio, existit criminatio. Hoc verò ita vsuenit, propterea quòd omnes, vel certè quamplurimi volunt ipsi quidem res honestas, sed tamen vtilitatem & fructum anteponunt. Porrò autem honestum est benefacere, vt gratiam non exigas: at beneficiis affici, vtile & fructuosum. Referenda est quidem certè par gratia, si modò possis: idque vltrò ac sponte (neque enim amicum oportet inuitum facere) quasi iam inde ab initio peccarit, accepérítque ab eo beneficium, vnde minùs debuit: non enim ab

amico, nempe ab eo qui ob hanc causam contulerit. Perinde igitur ac si certis verbis concepta esset obligatio, eum par est, qui beneficium accepit, reddere ac fateri, si modò possit, referendum sibi esse gratiam. Nam si minùs possit, ne is quidem qui dedit, reposcat. Quare si possis, reddendum est beneficium. Atque etiam imprimis quis beneficium confert, & quid inde expectet, considerandum: vt his conditionibus beneficio se affici patiatur, aut non patiatur. Sed hoc habet dubitationem, vtrùm referendæ gratiæ officium, eius qui accepit emolumento & fructu ponderandum sit, an eius qui beneficium dedit. Nam cùm beneficiis afficiuntur homines, extenuandorum meritorum causa, eiusmodi se à beneficis accepisse prædicant, quæ & illis exigua erant, & ab aliis accipere licebat. Illi contrà, quæ & maxima deferre potuerint, & quæ aliunde non potuissent accipere: idque rebus eorum asperis, aut vrgẽtibus alioqui negotiis. Nónne si amicitiam quidem vtilitas constituit, fructus quem ex beneficio tulit, is cui delatum est, mensura esse debet, vt ex eo beneficij magnitudo ponderetur? Hic enim indigebat, ei opitulatur alter, parẽ aliquãdo gratiã accepturus. Quoniã ergo tantum fuit subsidium, quãta in altero secuta est vtilitas, idcirco tantum etiam reddendum, quantum ad se peruenisse comperit: aut plus eo etiam. hoc enim est multò præclarius. In amicitiis autem quas virtus contrahit, quoniã nullæ obiurgationes existunt, officiũ æstimandum est ex eius qui contulit agendi cõsilio atq; proposito. Virtutis enim ac morum præcipua vis in agendi consilio ac proposito consistit.

Atque etiam in amicitiis, in quibus excellentiæ quædam sunt, dissidia & querelæ incidunt. Nam vterque plus sibi

tribui postulat. hoc verò cùm fit, amicitia dissoluitur. Qui namque melior est, sibi plus tribui æquum censet (bono enim plus tribui æquitas iubet.) Itémque is qui vtilior est. Eum enim qui sit inutilis, paria emolumenta censequi negant oportere: alioqui famulatum fieri non amicitiam, nisi pro dignitate officiorum ea constabunt quæ sunt amicitiæ propria. Arbitrantur enim, vt in societate pecuniarum plura accipiunt qui plura contulerunt, sic in amicitia oportere. At inops & deterior contrà. Boni enim amici esse subuenire egentibus. Quis enim fructus, inquiunt, quę vtilitas manet eum qui viro bono aut potenti sit amicus, siquidem nihil sit consecuturus? In quo vterque rectè videtur postulare, æquúmque reposcere: plúsque adeò tribuendum est vtrique ex iis rebus quæ vigent in amicitia, sed non eiúsdem rei: sed ei qui præstantior sit, plus honoris: inopi, plus emolumenti. Virtutis enim ac beneficentiæ premium, est honos & gloria: inopię & indigentiæ subsidium est, quæstus lucrúmve. Hoc verò sic se habere etiam in repub. perspicitur. Neque enim honos habetur ei qui in Rempublicam nihil boni confert. Quod enim commune est & publicum, datur ei qui de Repub. bene meretur. Honor autem, communis res est & publica. Neque enim fieri potest, vt quis simul à Repub. locupletetur, & gloriam consequatur. Quoniam enim nemo potest, vt omni ex parte iacturam faciat, sustinere, suámque conditionem vndique deteriorem fieri: qui rei numariæ iacturam facit, habétque deteriorem hac ex parte conditionem, ei honorem tribuũt: ei verò qui se vult muneribus affici, pecunias. Quod enim cuique tribuitur pro dignitate, id exæquat (vt dixi) & conseruat amicitiam. Illo sanè modo iis agendum est, vnáq;

verſandum iis qui impares ſunt. Et cui vel ad opes adiumẽtum allatum eſt, vel ad virtutem, is honorem debet reddere, id ſcilicet reddens quod ſuæ facultatis eſt. Exigit enim & poſtulat amicitia, non quo quiſque dignus eſt, & quod pro dignitate debetur, ſed quod tuæ facultatis eſt, quódque præſtare poſſis. Neque enim illud fieri poſſit in omnibus: veluti in iis honoribus, qui diis debentur & parentibus. Nemo enim eſt qui pro dignitate eos poſſit venerari: & tamen qui eos quocunq; officio & obſeruatione poteſt, colit, is vir pius habetur. Idcirco filio non videtur conceſſum, vt patrem abdicet atque ableget, patri licet filium abdicare. Cùm enim debitor ſit filius, eum oportet reddere & obligationem diſſoluere: qui ſi omnia efficiat, nullam tamen partem videatur illius meritorum aſſecutus. Quare ſemper debitor eſt, & illius beneficiis obligatus. Quibus autem debetur, iis licet ſuos debitores dimittere, quare & patri. His adde, quòd nemo fortaſſe ſit qui velit vnquam abs ſe alienare, niſi eum qui inſigni quadam improbitate ſit præditus. Nam præter naturalem amicitiam, humanum eſt, ſubſidium non aſpernari. Illi verò quia improbus & flagitioſus eſt, cauendum eſt, aut non laborandum certè, vt opituletur & ſubſidio ſit. Plerique enim beneficiis affici volunt, ipſi conferre, vt rem minimè fructuoſam, fugiunt. Ac de iis quidem hactenus.

Ei verò qui ſe muneribus vult affici.) Tametſi in Græcis codicibus, quos viderim, legatur ἀδωροδόκῳ, ſententia tamen poſtulat, vt legatur σωροδόκῳ, vt eum ſignificet qui ſe vult muneribus affici.

ARISTOTELIS
Ethicorum liber IX.

ARGVMENTVM.

QVibus cauſis amicitia conſeruatur & tollitur. 2. Quomodo amare debemus amicos? 3. Fœlici opus eſt amicis. Conſeruant amicitiam mutua & æqualis beneficiorum cõpenſatio. Alia tamen Deo, alia parentibus, alia fratribus, alia ſodalibus, alia beneficis reddenda ſunt pro dignitate cuiuſque. Amicitiæ cauſa permanente, vt virtute, vtilitate, voluptate, amicitia conſeruatur & manet, ſublatis cauſis diſſoluatur neceſſe eſt. Amicitia tamen non eſt ſtatim diſſuenda cum omnibus, ſed cum illis qui à virtute defecerunt & ſunt incurabiles. Qui autem poſſunt emendari, honeſtiſſimum eſt operam dare vt ad meliorem mentem redeant, quoniam virtutis melior eſt poſſeßio quàm diuitiarum. 2. Ex amicitia qua quis ſe ipſum diligit, ſumitur modus & norma diligendi amicos. Nam amicus eſt tanquam alter idem. Vera amicitia erga ſeipſum, oritur ex tribus officiis perfectæ amicitiæ, beneuolentia, beneficentia, & concordia. Beneuolentia eſt qua quis ſibi & amico benevult, & eius quidem gratia cui benevolus eſt, beneficentia qua quis & ſibi & amico benefacere ſtudet. Benefici autem magis eos diligunt, quibus beneficia contulerunt, quàm illi qui acceperunt, eos diligunt. Nam dare eſt honeſtius & incundius & certè amabilius, vt poëtæ opera ſua veluti filios diligunt: & quæ labore noſtro paramus, magis amamus, ſicuti matres magis ſuos filios diligunt. Concordia eſt qua verus amicus ſecum & cum amicis eſt concors. In bonis maximè viget concordia. Nam bonorum quiſque ſecum eſt concors, & omnes inter ſe concordes qui in iiſdem propoſitis omnino permanent, optantes ſemper ea quæ iuſta ſunt, & ad ea quique pro ſuo officio certatim contendentes. Improbi nec concordes, nec amici eſſe poſſunt, neque ſecum neque cum aliis, aut exiliter admodum paruóque tempore. Nam paruorum quiſque ſuam vtilitatem quærens ex bonis vtilibus plus habere cupit, in laboribus verò perferendis minus. Hic proximum ſuum perſcrutatur & explorat vt de eo obtrectet, eius vtilitatem impediat: quo fit vt dum ab ipſis bonum commune non conſeruetur, penitus concidat. Amans ſui capitur in malam & bonam partem, primo nanque amantes ſui ſunt, qui non menti ſed prauis cupiditatibus obſequuntur, quibus & ſibi & aliis nocent. Secundo amantes ſui ſunt, qui virtutis & ſalutis cauſa ſe diligunt & abhorrent à vitiis: hi amicorum & patriæ cauſa faciunt plurima, & ſi opus eſt mortem etiam oppetunt, dum honeſtatem retineant. Pecuniarum & bonorũ & imperiorũ iacturam facilè ferent ipſi, quo maiores opes & honores amici cõſequãtur: & accidere quidem poteſt, vt amico rerum actione conceſſa, pulchrius ſit, eum amico præclaræ actionis cauſam exitiſſe quàm ſi ipſe gereret. Fœlici opus eſt amicis, quia iucundè intuetur eorum actiones ſuis propriis ſimiles. Deinde virtus putatur augetúrque verſando cum bonis. Nec tamen ſunt multi parandi vtilitatis aut voluptatis amici, quis enim iis ſatisfaciat? ſed tam multi quàm probi ad legitimam communitatem requiruntur. In rebus ſecundis magis indigemus probis amicis, in aduerſis indigemus vtilibus. Bonorum amicorum eſt ſimul verſari ac viuere mutuóque aſpectu recreari, benéque agere, ſicut malorum eſt compotare, & turpibus voluptatibus indulgere.

IN omnibus autem amicitiis ſpecie diſſimilibus proportio, vt dictum eſt, & exæquat amicitias & conſeruat: vt etiam in ciuili, ſutori pro calceis, & textori, cæteríſque omnibus extat remuneratio pro dignitate. Atque hîc quidem numus comparatus eſt quaſi rerum omnium mẽſura communis: ad quem ſanè referuntur: ex eóque ponderantur, æſtimantúrque omnia. At in amatorum amicitia interdum amator queritur ſibi in amore parem non eſſe eum quẽ ſupra modum amet, cùm in eo nihil fortaſſe ſit amabile. Sæpe etiam amaſius conqueritur de amatore, quòd cùm antea promitteret omnia, nunc nihil præſtat. Qualia ſolent tum maximè euenire, cùm illæ voluptatis cauſa amaſium colit, hic vtilitatis gratia amatorem: nec vtrique illa adſunt. Quoniam enim his de cauſis amicitia conſtituta erat, diſſociatio & diſtractio ſequitur, cùm ea non extant, vnde erant profectæ cauſæ diligendi. Neque enim ſe inter ſe diligebant, ſed ea quæ vtrinque extabant ac ſuppetebant. Quæ quoniam infirma ſunt, nec ſtabilia, etiam amicitiæ ſunt eiuſmodi. At verò amicitia, quam morum ſimilitudo bonorum comparauit, quoniam propter ſe eſt, permanet, vt dixi. Sed amici diſſident inter ſe tum, cùm alia atque optabant, eis obueniunt. Nam perinde eſt, ac ſi nihil tibi obueniat, cùm tibi non obuenit quod cupias. Quale eſt illud quod fertur de quodam citharœdo, cui cùm quiſpiam ſollicitus eſſet, quò meliùs caneret, eo ſe maiorem mercedem ille daturum, iſque poſtridie promiſſam mercedem exige- Cap. 1.

ret: eum alius respondit cũ voluptate compensasse voluptatẽ. Ac si hoc quidem uterq; volebat, satis uterq; habuit: sin hic voluptatem quam ceperit petebat, ille quæstũ occupabatur quo caruit, nõ rectè, neq; præclarè ad societatem accidit. Quo enim quisque eget, ad id etiam attentus est: ídque ut assequatur, hæc daturus est quæ habet. Vtrum autem eius sit precium ei præscribere qui dat, an eius qui accipit, quæstio est? Quid enim dat, hoc illi permittere uidetur. Quod aiunt Protagoram facere solitum, qui cùm docuisset quidlibet, iubebat eum æstimare qui didicisset, quanti faceret eam, quam adeptus erat scientiam, ac tantundem auferebat. In quibusdam verò eius generis satis est nonnullis illud,

Merces digna viro.

Qui verò argento antè accepto, nihil deinde præstant eorum quæ professi sunt, propter promissorum magnitudinem, iure ac meritò in reprehensionem incurrunt. Neque enim exoluunt, quod promiserunt. Quod tamen coguntur fortasse Sophistæ facere, quia nemo alioqui esset qui pro iis quæ sciunt illi, vellet argentum dare. Ac isti quidem quoniam non ea perficiunt, in quæ mercedem acceperunt, iure culpantur. Inter quos autem nullum pactum mercedis interuenit, ij quidem qui ultrò per se ac sponte sua bene merentur, omni, ut dixi, reprehensione carent. Talis enim est quam virtus contraxit, amicitia. Atque facienda est consultò remuneratio, & gratia ultrò ac sponte sua referenda. Hoc enim amici est atque virtutis proprium. Similis etiam uidetur esse ratio eorum, inter quos est philosophiæ communicatio. Neque enim aut rei tantæ dignus pecunia æstimatur, aut ullum precium tanti momenti &

onderis poteſt exiſtere: ſed fortaſſe vt erga deos & parentes,
ta hîc ſatis ſit præſtare quod quiſque efficere poſſit. At ſi
non vltrò ac ſponte ſua dederit, ſed ſpe mercedis, & aliquid
nde expectans eam maximè remunerationem eſſe opor-
et, quæ vtique videatur eſſe pro dignitate. Quòd ſi id mi-
nùs fiat, non ſolùm neceſſe eſt, verùm etiam iuſtum eum qui
prior accepit, quantum reddendum ſit præſcribere. Etenim
ſi quantam vtilitatem ceperit, quantíque fecerit volu-
ptatem, quam habuit tantundem ille vicißim ſit conſecu-
us, ab hoc dignam beneficio mercedem iuſtúmque precium
cceperit. Id enim in rebus etiam venalibus factitari vide-
nus. Et nonnullis in locis leges ſunt, quæ ex pactis volunta-
iis actionem dari vetant: quòd eam deceat, cui habita ſit
fides, ita obligatione liberari, ſicuti cum eo alius contraxit.
Cui enim commiſſum quid atque permiſſum eſt, eum iu-
ſtius eſſe arbitrantur precium rei conſtituere, quàm eum qui
permiſerit. multa enim ſunt quæ non pariter ab iis æſtiman-
ur qui habent, atque ab iis qui accipere volunt. Sua enim
uique, & quę quiſque dat, magni precij videntur: attamen
cõpenſatio tanta ſequi debet, quantum præſcripſerint ij qui
acceperunt. Nec fortè eſt tanti res æſtimanda, quanti tum
eſſe videtur, cùm eam quis habet, ſed quanti antè quàm
haberet, æſtimabat.

Verùm hæc quoque dubitationem afferunt, Vtrùm Cap. 2.
atri omnia ſint tribuenda, eique parendum in omnibus:
An verò cùm quis ægrotat, medico parendum? Et cùm
mperator diligendus, is demum qui laude rei bellicæ va-
at plurimùm, eſt noſtro ſuffragio creandus? Simili modo,
micóne potiùs, an bono viro ſubueniendum? Et vtrùm ei

qui de nobis bene meritus est, referenda sit potiùs gratia, quàm dandum sodali beneficium, si vtrumque non possis? Ac horum quidem omnium haud facilis est, subtilis ac perfecta terminatio: præsertim cùm multæ ac variæ incurrant differentiæ, magnitudinis & paruitatis, honestatis & necessitatis. Hoc tamen non est obscurum, non esse idem omnia tribuenda officia. Potiúsque referenda ferè est gratia cui debeas, quàm à sodalibus ineunda: sicuti mutuum etiam reddendum est potiùs cui debetur, quàm sodali dandum beneficium. Quanquam hoc fortasse non semper sit seruandum. Verbi gratia, in eo qui à quoquam redemptus est à prædonibus. quid enim? nónne vtique ab eo qui liberarit, sit redimendus, qualiscunque etiam sit? Quòd si captus ille quidem non sit, sed repetat tamen quod pro te solutum est, Num ei reddendum, an potiùs pater liberandus? Videatur enim vel seipso potiùs pater esse redimendus. Ergo, vt dixi, in vniuersum ac generaliter, debitum reddendum est. At si vt alteri des, honesti aut necessitatis ratio vindicat, est ad hæc ipsa declinandum, vt scilicet des potiùs, quàm reddas. Incidunt enim huiusmodi tempora, cùm beneficium, quo prouocati ab altero sumus, reddere æquum non sit. Vt si virum bonum esse sciat, in quem beneficium sit collaturus, improbum contrà cum cui sit referendum. Sed nec interdum ei qui mutuum dederit, vicissim est dandum mutuum. Ille enim se existimãs recepturum quod dat, mutuum dedit viro bono, hic ab improbo non sperat se esse recepturum. Ergo siue ita est reuera, non est par dignitas: seu non ita est, sed putant tamen ita esse, nihil absurdè facere videantur. Vt ergo sæpe dixi, quæ de perturbationi-

bus & actionibus habetur oratio, eodem se modo habet, quod quidem attinet ad definiendum de iis aliquid, ac pro certo constituendum, quo res in quibus versantur. Atque illud quidem minimè obscurum est, non eadem omnibus reddenda esse, nec patri quidem omnia, vt nec Ioui immolantur omnia. Quoniam autem alia parentibus, alia fratribus, alia sodalibus, alia beneficis tribuenda sunt, suum cuique ac proprium, quódque deceat tribuendum est. Quod etiam homines facere conspiciuntur. Solent enim ad nuptias cognatos inuitare: quibus quoniam genus commune est, idcirco quæ genus attingunt, sunt illis inter ipsos officia communia. Ob eandem quoque causam cognatis & propinquis maximè incumbere existimant ad exequias cohonestandas conuenire. Sed alimenta suppeditari parentibus maximè debent à liberis tanquam debitoribus: iisque adeò in rebus præclarius est eos iuuare, qui nobis vt scimus causæ sunt, quàm nos ipsos. Atque etiam vt diis, sic parentibus honos tribuendus: nec omnis quidem parentibus. Neque enim patri & matri idem tribuendus: nec rursus qui sapienti aut imperatori debetur honor, id est patri tribuendus: sed patri is qui patrem deceat, itémque matri qui matrem. Omni etiam seni honos tribuendus est, is qui ætatem illam decet, assurgendo, decedendo de sede, aliísque generis eiusdem. Cum sodalibus & fratribus, libertas & rerum omnium communitas vigere debet. Cognatis verò atque tribulibus, ciuibus, itémque reliquis omnibus semper enitendum est, vt suum cuique tribuatur. Et quæ cuique conueniant, ea ex illa quæ nobis cum illis erit familiaritate, ex virtute aut vsu erunt iudicanda. Atque in iis

quidem in quibus est generis similitudo, facilius est iudicium: in quibus est generis diuersitas, difficilius. Non tamen ob eam quidem causam desistendum est, sed quoad fieri poterit, faciendæ est omnium distinctio.

Cap. 3. *De dissoluendis autem aut retinendis amicitiis hoc quæri potest: Vtrùm discedendum sit ab amicis qui non permanent, sui similes? An ab iis quidem qui amicitias vtilitatibus & voluptate dirigunt, cùm hæc non amplius eis adsunt, non est alienum discedere? Hæc enim ipsa amabant: quibus sublatis illud consentaneum est, vt etiam amicitia tollatur. Querela autem non iniusta orietur, si quis vtilitatem aut voluptatem quærens diligat, seque in amicitia bonos mores simulet secutum. Nã, initio vt dixi, multa amicorum dissidia fiunt, cùm non ita, vt putarant, sunt amici. Ac tum quidem, cùm quispiam falsus est opinione, quod alterum putaret ductum moribus se diligere, cùm nihil alius tale præ se ferret, se ipse accusare debet. Sin autem illius simulatione deceptus est, eum æquum est accusari qui fraude egerit: vel multò etiam magis, quàm eos qui numos adulterant, quò in re præstantiore dolus malus intercessit. Sed si tanquam bonum virum receperit, aliquis malus autem factus sit, aut verò ita videtur, Etiámne diligendus sit quæritur? An hoc fieri nullo pacto potest? Siquidem non sunt amore digna omnia, sed bona sola. Non igitur est amandus improbus, neque æquum sit. Nam mali cupidum amatorémve esse non oportet: nec verò similem fieri homini improbo. Atqui similem simili amicum esse, dictum est, suprà. Sed vtrùm statim ac repentè præcidendæ amicitiæ? An non cum omnibus, sed cum iis quorum improbitati*

nullum remedium inueniri poteſt. Iis verò qui corrigi poſſunt, eò magis quoddam adiumentum adferendum eſt ad mores quàm ad opes, quo hoc melius eſt, & amicitiæ magis proprium. Nec quicquam alienum facere videatur qui amicitiam diſſoluerit: quippe cùm nõ huic erat amicus, qua talis eſt. Quia ergo immutatum eum ad meliorem mentem reuocare non poteſt, ab eius amicitia abſcedit. Sin hic permanet ſui ſimilis, ille multò melior eſt factus, longéque virtute excellit. Vtrùm eo amico etiamnũ vti debet, an id fieri non poſſit? Id verò in magna diſtantia eſt maximè perſpicuum: vt in iis amicitiis, quæ ab ineunte ætate contractæ ſunt. Etenim ſi ille puer mentis agitatione permaneat, hic autem vir ſit quàm optimus, quî fieri poteſt vt ſint amici, cùm iam non ſint illis grata eadem, nec oblectentur iiſdem rebus, nec offendantur? Neque enim hæc in ſe mutuò conferent officia, ſine quibus amici eſſe nullo modo poſſunt: quãdoquidem vita victúſque communis non poteſt inter eos intercedere. Sed de his iam diximus. Vtrùm verò erga eum non alio modo ſe gerere debet, quàm ſi nũquam amicus fuiſſet, an prioris conſuetudinis valere debet recordatio? Et ſicuti amicis potiùs gratificari putamus oportere, quàm exteris, ita veteri amicitiæ aliud tribuendum eſt, niſi propter ſingularem quandam improbitatem facta ſit diſtractio.

Quæ autem ab amicis in amicos proficiſcuntur officia, quibúſque amicitiæ fines & termini conſtituti ſunt, ab iis profecta videntur, quæ ſibi quenque præſtare conſpicimus: Ponunt enim amicum eum qui velit alterum bonis affici & ipſe afficiat, aut certè iis quæ bona videantur, illius cauſa: aut eum qui velit ſaluum & incolumem amicum, Cap. 4.

eámque manare in vita ipsius causa. Quo sunt animo matres erga liberos: & amicorum ij qui ab suis amicis offensi sunt. Alij amicum eum statuunt, qui vita victúque communicum alio coniunctus est, quíque eadem studia sequatur: aut eum qui pariter & rebus aduersis amici doleat, & gaudeat secundis. Quod idem in matribus contingit maximè. Horum verò aliqui etiam amicitiam definiunt ac determinant. Atqui hæc omnia virum bonum sibi ipsi optare ac præstare cernimus: cæteros autem quâ bonos se existimant. Est enim virtus & vir bonus velut mensura (vt dixi) rerum omnium. Nam & secum ipse consentit, & iisdem rebus totus eius animus mouetur, omnibúsque animi partibus appetit eadem. Est igitur etiam is qui se iis quæ verè bona sunt aut videantur, velit affici: eáque in se ipse præstat. est enim viri boni quod bonum sit gerere, in eóque elaborare, ídque sui ipsius causa. Siquidem mentis gratia, quæ id ipsum est, quod quisque maximè esse videtur. Atque etiam manere vult in vita, ac saluus esse: eámque maximè partem vult sibi incolumem, quæ valet prudentia, & qua sapit. Bonum enim est viro bono esse. Et se verò quisque vult iis quæ si bona sunt affici. Quòd si alius fieret, atque est, nemo esset qui omnia optaret in illo inesse, in quod esset mutatum. Est enim etiam nunc in eo bonum, sed quod idem ipsum est, quod semper est. At mens sua quisque est, vel certè maximè. Iam verò qui talis est, secum ipse vult viuere. Id enim facit libenter & cum voluptate. Nam & rerum gestarum suaues sunt memoriæ & futurarum spes bonæ: quæ autem tales sunt, iucundæ & cum voluptate coniunctæ sunt: Accedit etiam,

quòd mens eius abundat præceptorum copia. Et quoniam iisdem rebus semper, & omni ex parte oblectatur & offenditur, ac non aliàs aliis, fit vt doleat gaudeátque rebus suis vnà secum maximè. Is enim est quem nullius, propè dixerim, rei pœnitet. Ergo quia hæc omnia viro bono in seipsum officia extant, in animum autem non alio animo est, quàm in se ipsum (est enim amicus tanquam alter idem) hinc fit, vt in eorum aliquo videatur vis amicitiæ consistere, atque illi esse amici, in quibus hæc insunt. Vtrùm autem secum cuiquam sit amicitia, nécne sit, omittamus hoc quidem tempore quærere. Verùm ea ex parte putandum est amicitiam cõstare, qua eorum quæ dixi, aut duo adsunt, aut etiam plura: vel ex eo quòd singularis & excellens amicitia ei similis dici solet, quæ secum cuique est. At enim videntur quæ dicta sunt adesse permultis etiam improbis. Num ergo eorum ea ex parte participes sunt, quatenus sibi placent ipsi, seque probos putant? quandoquidem nemini hæc insunt eorum qui insigniter improbi ac nefarij sunt: quin nec videntur ne illi quidem malorum adesse. A se enim dissident ipsi, secúmque discordant: atque alia concupiscunt, alia volunt ritu impotentium. Is enim quæ sibi ipsi bona esse statuerunt, ea quæ iucunda sunt, cum suo etiam damno coniuncta, anteponunt. Alij rursus per timiditatem atque ignauiam ab iis rebus gerendis recedunt, quas ipsi optimas esse arbitrantur. Qui verò multa & grauia scelera perpetrarunt, etiam improbitatis suæ conscientia se oderunt ipsi, ac vitam fugiunt, atque adeò mortem sibi consciscunt. Improbi etiam alios quibuscum versantur, requirunt, se fugiunt ipsi. Multa enim cùm soli sunt, & acerba atque horrenda recordantur, &

alia eiusdem generis expectant: cùm sunt cum aliis, obliuione obruunt. Et quoniam in iis nihil est amabile, nullum reperiunt diligendi sui rationem. Nec igitur qui tales sunt, secum vnà lætari possunt. Nec dolere. Eorũ enim animus à se ipse dissidet, & velut seditionibus agitatur, aliásque propter improbitatem se dolet à quibusdam rebus abstinere, alias gaudet: atque pars altera huc trahit, & illuc altera, animum velut distrahentes ac dissipantes. Qui tametsi dolere simul & lætari non possit, ac paulò post certè molestè fert se voluptatem cepisse, & sibi ea vellet non fuisse voluptati. Pœnitentiæ enim pleni sunt improbi. Non igitur in se amicè animati sunt improbi, quòd in eis nihil sit dignum amicitia. Quòd si ita affectum esse valdè miserum est, fugienda improbitas est omni animi contentione, dandáque opera vt probi simus. Sic enim & in nos ipsi amico animo affecti erimus, & aliis amici efficiemur.

Cap. 5. *Beneuolentia autem quanquam amicitiæ sit similis, non tamen idem est quod amicitia. Nam beneuolentia etiam cùm iis coniuncti sumus qui nobis sunt ignoti, eadémque occulta esse potest: quorum neutrum in amicitiam cadit, quod etiam suprà diximus. Nec verò idem est beneuolentia quod amor dilectióve. Neque enim contentionem admittit, neque appetitionem, quæ amorem consequuntur. Præterea consuetudine amor suscipitur: beneuolentia etiam repentè ac subitò: quemadmodum in certantibus contingit. Nam in eos beneuoli sunt, idémque quod illi volunt, hi optant, cùm interim nullo eis adiumento sint. Nam & repentè, vt dixi, beneuoli fiunt, & leuiter diligunt. Videatur ergo amicitiæ principium esse beneuolentia, quemadmodum venerei amoris, ea voluptas quæ*

ex ſenſu oculorum aſpectúq; capitur. Etenim nemo amore capitur, niſi qui in forma ſpectanda attentior fuerit. Et quem forma delectat, non continuò amore capitur, ſed tum denique cùm & abſentis deſiderio tenetur, & præſentiam concupiſcit. Sic ſanè inter nullos amicitia intercedere poteſt, qui non antè cõiuncti ſint beneuolentia. At qui beneuolentia cõiuncti ſunt, non ij cõtinuò etiã amant. Eos enim dũtaxat volũt bonis affici, quibus ſunt beneuoli, nec eos tamen vllis officiis adiuuent, nec vllam propter eos moleſtiam ſuſcipiãt. Quocirca eã tranſlato nomine otioſam amicitiam licet dicere: eámq; tempore confirmatã cùm auxit conſuetudo, tum amicitia efficitur: ſed non quæ vtilitatis, aut voluptatis cauſa conciliatur: quandoquidẽ eorũ cauſa nemo cum alio beneuolentia coniungitur. Nam qui beneficium accipit, ſi pro beneficio accepto eum qui contulit beneuolentia complectitur, is quòd iure debet, facit. At verò qui alterum vult bene rem gerere, ſpe ſubſidij, quod ab illo expectet, non illi beneuolus, ſed ſibi potiùs videtur: ſicuti nec amicus habendus alteri, ſi eum fructus cuiuſdam cauſa colat & obſeruet. Omninò autem beneuolentia ob virtutem & probitatem quandam naſcitur, ſi qua ſignificatio honeſtatis, fortitudinis aut alicuius eiuſdem generis in altero eluceat, quemadmodum in certantibus fieri ſolere diximus. Cap. 6.

Atque etiam concordia ad amicitiam pertinere videtur. Quocirca non eſt idem quod conſenſus opinionum. Nã hic inter eos etiam eſſe poteſt qui inter ſe ignoti ſunt. Ne concordes eos dicimus qui de quauis re idem ſentiunt, vt qui de rebus cæleſtibus: quippe cùm de iis idem ſentire non pertineat ad amicitiam, nihilque amicitiæ officia attingat. Quamobrem concordia eſſe tum dicuntur, cùm de iis quæ

publicè vtilia sunt; vnum idémque sentiunt, eadémque ineunt consilia, quódque publicè placuerit, exequuntur. Ergo in agendis rebus, quæ graues & magnæ sunt, quæque contingere possunt vel vtrisque vel omnibus, concordia constit. Veluti ciuitates cõcordes sunt, cùm placet omnibus magistratus delectu creari, aut ineundam cum Lacedæmoniis societatem: aut Pittacum imperare, si etiã ipse velit. At verò cùm seipsum vterq; vt illi in Phœnissis, regnare veult, tum seditio nascitur. Non enim vnum idémque cogitare vtrumque, quale idcunque sit concordare est, sed idem de eadem re. Vt cùm populus & optimates volunt optimos præesse Reipub. sic enim omnes assequuntur quod optant. Ciuium porrò inter se amicitia, concordia videtur, vt etiam perhibetur. Cernitur enim illa in iis quæ publicè vtilia sunt, iisque ideò quæ ad vitæ vsum pertinent. Talis verò est inter bonos concordia. Ij enim per eam, quam semper retinent constãtiam, vnum idémque & ipsi secum & cum aliis sentiunt: præsertim cùm eorum perstent voluntates, non more Euripi fluant ac refluãt, volúntque ea quæ iusta sunt & vtilia: quorum in Rempub. conferendorum cupiditate ducuntur. At verò improbi nisi ad breue & exiguum tempus cõcordes esse non possunt, sicuti etiam amici esse solent, cùm in emolumentis se velint semper esse potiores: in laboribus autem & publicis oneribus ac muneribus inferiores, minúsque grauatos. Quæ cùm sibi quisque exoptat, proximum quẽque obseruat, ac veluti in eum inquirit, atque arcet: interim petit quod erat commune, cùm nemo tueatur. Ex quo nascuntur seditiones: dum alteri alteris necessitatem afferunt, ipsi fungi iusto officio nolunt.

Cao. 7. *Benefici autem eos videntur vehementiùs amare, in-*

quos beneficia contulerunt, quàm ij qui acceperunt eos qui dederũt. Quod sanè quasi præter rationem ita fiat, dignum videtur de quo quæratur. Ac compluribus quidem hoc ita videtur vsuuenire, quòd illi debent, his debetur. Vt igitur in mutatione debitores periisse eos volunt, quorum æs contraxerunt: salus contrà debitorum curæ est creditoribus: sic qui bene meriti sunt eos saluos esse velle, in quos beneficium collocarunt, quasi gratiam dati beneficij accepturi: illis curæ non esse vt gratiam referant. Et Epicharmus quidem fortè dicat ex malignæ affectionis obseruatione hanc eorũ ortam esse orationem: quæ tamen humana est. Sunt enim pleriq; immemores beneficij: propensioréſque sunt homines ad accipiendum beneficium, quàm ad bene merendum Sed causa à natura potiùs profecta videtur: quæ nihil simile habeat ei qui adfertur de creditore. Nullus enim est amoris erga illos affectus: sed volunt saluos esse, vt suum recipiant. At benemeriti eos diligunt, & charos habent, apud quos beneficia collocarunt, etiamsi nihil in præsens ex iis emolumenti percipiant, nec sint percepturi in posterum. Quod etiam in artificibus contingit. Omnibus enim sua chariora sunt opera, quàm ipsi essent suis operibus, si animata fierent. Sed nescio quo pacto hoc in poëtis magis cernitur, quibus sua opera præter modum chara sunt, ea vt tanquam liberos ament. Huic est similis causa beneficiorum. Nam quod alius beneficium accepit, est ipsorum opus: & ea re id eis clarius est, quàm operi suus auctor atque effector. Huius verò hæc causa est, quòd esse, omnibus optabile est & gratũ. Sumus autem ipso quodam actu (nam viuendo & agendo) qui ergo fecit opus actu, hoc ipso est quodam modo. Ergo opus diligit, quia ei gratum est, esse: hoc verò naturale est.

Nam quod potestate est, id opus ipso actu exhibet & ostendit, & vt actu sit, efficit. Adde quod ei qui beneficium contulit, pulchrum honestúmque est id quod egit: quo fit vt eo delectetur, in quo illud ipsum ineſt. At qui beneficium accepit, nihil rei præclaræ habet in eo qui dedit, sed fructum modò & emolumentum: quod & minùs iucundum est, & minùs amabile, quàm quod honestum est. Porrò cùm voluptatem adferat rei præsentis, actus: & rei futuræ, spes: & rei præteritæ, memoria: tum verò ipse vigens actus, idest sanè quod est suauissimum, itémque maximè amabile. Ergo ei qui benemeritus est, sui operis permanet stabilis, certáque possessio. Est enim id quod honestum est, diuturnum. At ei qui accepit, vtilitas facilè perit ac decidit. Et honestarum rerum memoria iucunda est: vtilium, non ita multum, aut multò certè minùs. Contráque est in expectatione. Et amare quidem actioni est persimile, amari autem perpessioni. Qui ergo in actione occupati sunt, eos comitatur amare, eáque illos sequuntur omnia quæ ad amicitiam pertinent. Iam verò ea sunt omnibus chariora, quæ labore parta sunt: vt etiam pecuniæ iis chariores sunt qui quæsierunt, quàm qui acceperunt. Atqui accipere beneficium, nullius negotij est: dare arduum ac difficile. Ob eámque causam liberi chariores sunt matribus, quàm patribus: quod partus iis difficilior sit, & quòd suos esse certiùs sciant. Quod idem ad beneficos videtur esse accommodatum.

Qui ergo sunt in actione occupati] τοῖς ὑπάρχουσι δὴ καὶ τὸν πρᾶξιν. Sic legendum est, non δὴ: atque ita facilè est sententiam Arist. assequi.

Cap. 8. *Sed vtrum se quisque maximè diligere debeat, an alium aliquem, quæstio est? Culpantur enim qui sunt sui amantissimi, eósque φιλαύτους, id est, amantes sui, probri loco ap-*

pellant. Videntúrque mali homines quæ faciunt, ſuam ob cauſam facere omnia: atque eò magis quò ſunt ſceleratiores. Iis ergo id vitio datur, quòd ſibi tantùm conſulunt. Boni autem ob honeſtatem: quóque ſunt meliores, eò magis propter honeſtatem agunt & amici cauſa, vt etiam ſuas res rationéſque prætermittant. A qua oratione facta diſſentiunt: nec ſine cauſa. Aiunt enim diligendum eum maximè, qui ſit maximè amicus. Is autem maximè amicus eſt, qui cùm velit quempiam maximè bonis affici, id vult illius cauſa, atque adeò ſi nemo etiam ſit reſciturus. Hæc verò ſibi quiſque exoptat maximè: & cætera profectò omnia quibus amicus definitur. Docuimus enim amicitiæ officia à ſuiipſius charitate ad alios peruenire. Atque eo etiam conſentiunt prouerbia huiuſmodi: Vnus animus: Amicorum omnia communia: Amicitia, æqualitas. Genu quàm tibia eſt propius. Hæc enim omnia in officiis ſeipſum, & charitate maximè cernuntur. Sibi enim quiſque charus eſt maximè. Se ergo quiſque maximè diligere debet. Iure autem hoc venit in dubium, vtris tandem rationibus ſit aſſentiendum, præſertim cùm vtræque ſint probabiles. Conſtituendi ergo ſunt in eiuſmodi rationibus fines & quaſi termini veritatis, vt quatenus, & qua in parte verę ſint, adhibita diſtinctione intelligatur. Si igitur intelligamus quid vtræque rationes φιλαυτον, id eſt, quod ſibi charum eſt, appellent, fortaſſe id planum fiet. Qui ergo hoc ipſum vitio vertunt, & vt probrum obiiciunt, φιλαύτους, id eſt amantes ſui appellant eos, qui penitus ſuas cogitationes & ſtudia in pecunias, honores & corporis voluptates ita collocant, vt meliorem horum partem ſemper à ſe velint eſſe. Plerique enim hæc ita

expetunt, iisque studeant, quasi in eis sit summum bonum. Itaque de iis digladiari atque dimicare solent. Qui ergo istis in rebus potiorum semper partem ad se transferri volunt, ij cupiditatibus, omninóque perturbationibus, éique parti animi, quæ est expers rationis obsequuntur: cuiusmodi sunt οἱ πολλοὶ, id est, plerique & vulgus. Vnde etiam ipsa appellatio ducta est, ἀπὸ τοῦ πολλοῦ, id est, à multitudine, quæ ipsa vitiosa & deprauata est. Iure igitur vt probrum obiicitur iis, qui ita se ipsi diligunt. Nec verò dubium est, quin eos qui hæc talia sibi illo modo tribuunt vulgus soleat appellare φιλαύτους. Si quis enim vnus ex omnibus maximam operã eò cõferat, vt iustè aut modestè facta sequatur, aut quæuis alia quæ virtutibus congruant, ísque vtique sibi semper honestatem vendicarit, hunc nemo φιλαύτον dixerit, hunc nemo reprehendat. Atqui hic potiùs vir, φίλαυτος esse videri debeat. Nam & pulcherrima quæque atque optima sibi assumit: & ei parti sui, in qua inest principatus, obsequitur, parétque in omnibus. Vt autem ciuitas id maximè esse videtur, quod in ea primas partes & principem locum obtinet, idémque in omni alio quod ex multis partibus conflatum est, vsuueniat: sic etiam homo id est maximè, quod eo principatum obtinet. Et amans ergo sui is est maximè, cui illud ipsum est charissimũ, quíque illi gratificatur. Et sanè ἐγκρατῆς & ἀκρατῆς (id est continens & incontinens,) Græcis ex eo habent appellationem, quòd mens in eis κραλεῖ ἢ μὴ κραλεῖ, id est, vincat aut non vincat, quasi mens sua sit quisque: ipsíque eo nos gessisse videmur, ac sponte nostra, quæ ratione duce gessimus. Illud igitur minimè dubium est, suam quenque nostrûmmentem esse maximè, eámque à bono viro maximè diligi-

Quapropter idem φιλαύτος erit maximè, sed alio, quàm quod vitio datur, genere: à quo tantum abest & distat quàtum vita rationi consentanea ei præstat quæ perturbationibus seruiat: quantúmque interest inter honesti appetitionem, eiúsque quod speciem habeat vtilitatis. Ergo ij omnes qui singulari quodam tenentur honestarum actionum studio, in commendatione omnium laudéque versantur. Quòd si omnes ad honestatẽ & res præclarissimas gerendas quasi certatim contenderent, & publicè omnes quæ commodo essent Reip. & priuatim singuli maxima bona adipiscerentur: siquidem virtus huiusmodi quædam res est. Quare vir bonus φίλαυτος esse debet, hoc est amans sui: quippe qui & sibi præclaris actionibus proderit, & cæteros iuuabit. At non debet improbus: siquidem & sibi nocebit & proximis, prauis cupiditatibus obsequens. Atque in improbis quidem quæ agunt ipsi, ab iis discrepant quæ agere debent. Probi autem quæ debent, eadem agunt. Omnis enim mens quod sibi optimum est eligit: at vir bonus menti obtemperat. Est verò & id verissimum quod de viro bono dici solet, eum & multa amicorum causa gerere & patriæ, &, si opus erit, mortem etiam oppetere. Pecunias enim, honóres, & omnino cætera bona, de quibus homines inter se digladiari solent, contemnet, ac pro nihilo putabit, dum sibi honestatem retineat. Breui enim tempore summam malit, quàm longo leuem percipere voluptatem: & vnum annum præclarè viuere, quàm multos vulgariter: & vnam actionem præclaram atque magnam, multis ac paruis anteponet. Quod iis profectò accidit, qui pro amicis & pro patria mortem non dubitant oppetere. Illi ergo sibi ipsi expetunt magnum decus. Iidémque pecuniarum iacturam facilè se-

rent, quo maiores opes amici consequantur. Sic enim amico extat pecunia, ipsi decus atque honestatis splendor. Ita sibi potiora bono retinent ac vendicãt. Eadem honorum & imperiorum ratio est. Hæc enim omnia amico concedet atque relinquet: ex quo decus sibi laudémque comparabit. Meritò igitur vir bonus ac virtute præditus censetur qui rebus omnibus antefert honestatem. At certè accidere potest, vt amico rerum actione concessa, pulchrius sit, eum amico præclaræ actionis causam extitisse, quàm si ipse gereret. In omnibus igitur laudabilibus vir bonus conspicitur, plus sibi honestatis assumere. Atque hoc quidem modo, vt dictum est, decet φιλαύτων esse, id est, amantem sui: quomodo solent plerique & vulgus non decet.

Cap. 9. Hoc etiam de beato quæri solet, vtrùm amicis, nécne ei sit opus? Beatos enim, eósque omnes qui se ipsi contenti sunt, amicorum præsidia negant requirere. Nam omnibus eos bonis abundare. Cùm igitur seipsi contenti sunt, nullo egere. Amicum porrò cùm quasi alter idem sit, quod quisque minùs per se possit, suppeditare. Vnde illud,

Quid est opus amicis, quando Deus fauet.

Sed absurdo persimile sit, cùm bona omnia beatus attribuamus, amicos denegare: quibus nihil in bonis externis maius, nihil melius reperiri potest. Quòd si amici est bene mereri potius, quàm accipere beneficiũ, & boni viri atque adeò virtutis est benignè facere: pulchrius autem est de amicis bene mereri, quàm de alienis, certè bonus ac virtute præditus, de quibus bene mereatur, requirit. Quocirca quæri solet vtrùm rebus aduersis magis, quàm prosperis desiderentur amici: quasi calamitosi, qui opem ferant, qui prospera fortuna vtantur, de quibus bene mereantur, requirant.

Atque etiam illud fortassis alienum sit, beatum constituere solitarium: præsertim cum nemo velit in summa solitudine omnibus opibus circumfluere & copiis. Est enim homo ad ciuilem congregationem, & vitæ coniunctionem natus. Hoc igitur etiam beato conuenit. Is enim præditus atque ornatus est, quæ naturâ bona sunt. Atqui hoc perspicuum est, cum amicis & bonis melius esse, quàm cum alienis & quibuslibet versari. Est igitur amicis opus beato. Quid ergo est quod dicunt priores illi? Et qua ex parte vera est eorum oratio? An quòd vulgus amicos putat eos demum qui vtiles sunt, & ex quibus fructum capiunt? cuius certè generis amicos non requiret beatus: quippe qui sit omnibus bonis abundè munitus. Sed nec eos qui voluptatis causa parantur, nisi paulum admodum. Quoniam enim vita ei sua per se suauis est & iucunda, nihil aduentitia & ascititia voluptate indiget. Quia verò amicos eiusmodi non desiderat, continuò videtur nullos omnino requirere. Quod fortassé verum non est. Initio enim dixi, beatitudinem esse actum operationémve quandam. Perspicuum autem est actum esse ex genere rerum quæ fiunt, non quæ sunt & constant ritu alicuius rei quam possideas. Quòd si beatum esse in viuendo & operãdo consistit, boni autem viri per se bona est atque iucunda actio, vt initio dictum est: id autem quod cuique proprium atque accommodatum est, in rebus iucundis censetur: cernere autem proximum quenque magis, quàm nos ipsos possumus, illorúmq; actiones magis considerare quàm nostras: bonorum verò, qui amici sint, actiones bonis sunt iniucundæ, præsertim cùm vtraque iis insint quæ natura iucunda sunt: efficitur vt

beati amicos eius generis desiderant necessariò: siquidem intueri exoptat actiones & probas & sibi familiares ac proprias. Cuius generis sunt viri boni, qui amicus nobis sit, actiones. Huc accedit, quòd beatum iucundè viuere putant oportere. At in solitudine agenti, vita molesta est atque acerba. Nec enim facile est solum ac per se continuè in rerum actione versari: cum aliis, & apud alios, multò facilius. Futura est igitur ita denique operatio magis assidua, ea quæ est per se iucunda: quod inesse debet in beato. Nam vir bonus, quâ bonus est, virtutis actionibus delectatur, vitiosis offenditur: sicuti musicus bonis modulis demulcetur, prauis offenditur. Iam verò ex vita, victúque communi cum bonis, exercitatio quædam virtutis comparatur. Vt etiam inquit Theognis, cùm ita scribit:

Virtutem ex iustis disces: at vita malorum
Peruertet mentis vel bona cuncta tuæ.

Quòd si magis accommodatè ad naturam spectare velimus, videbitur vir bonus naturâ expetendus amicus esse viro bono. Quod enim natura bonum est, id diximus viro bono per se bono esse ac voluptati. Atqui vita in animantibus sentiendi facultate definitur, in hominibus facultate sensus aut intelligentiæ. Porrò autem facultas in actum erumpit: ídque adeò quod præcipuum est, in actu consistit. Viuere autem propriè nihil aliud esse videtur, quàm sentire aut intelligere. Atqui viuere in iis est quæ per se bona sunt ac iucunda. Nam definitum certúmque est: quòd verò certum ac finitum est, de natura est ipsius boni. Quod autem natura bonum est, omne viro probo bonum est. Quocirca omnibus suaue ac iucundum esse videtur viuere. Sed

non est hîc sumenda vita vitiosa & deprauata, neque doloribus confecta. Vt enim quæ insunt in tali vita, sic ipsa incerta infinitáque est. Quod ex iis, quæ postea de dolore dicam, erit multò euidentius. Quòd si viuere bonum est, & iucundum: quod hinc perspici potest, quia cùm omnes, tum vel maximè boni ac beati eius cupiditate ducuntur. Nam & his expetenda maximè vita, & illorum vita beatissima. Qui autem videt, se videre sentit: & qui audit, se audire: & qui ambulat, se ambulare, itémque in cæteris quiddam est quod nos sentit in actu esse & operari. Ergo sentire possumus nos sentire, & mente concipere nos intelligere. Illud autem sentire in nobis esse alicuius rei, sensum, & intelligere quod sit in nobis intelligentia, est quod simus percipere. Nam, esse, vel sentire est, vel intelligere. Atqui sentire se quemque viuere in iis est quæ per se iucunda sunt. Vita enim, naturæ bonum est. At sentire sibi aliquid adesse quod bonum sit, suaue est & iucundum. Viuere igitur cùm omnibus expetendum est, tum maximè bonis, quod eis, esse, & bonum est & iucundum: quòd enim sensum sibi adesse eius quod per se bonum est, sentiunt, delectantur. Quemadmodum porrò in se vir bonus, sic in amicum affectus est. Est enim amicus alter idem. Vt igitur suus cuique status expetendus est, sic aut pari ratione, status amici expetendus. Status autem suus cuique ob eam causam optabilis est, quia ipsum sentiat sibi bono esse: qualis sensus per se ipse est iucundus. Amicum ergo necesse est etiam vt esse sentiat. Quod vita victúsque communis, sermonúmque ac consiliorum omnium efficiet societas & communio. In iis enim rebus ponenda est vitæ hominum inter ipsos coniunctio, non vt pecudum in pastu cibóque

communi. Quòd si esse, & in vitâ manere beato per se optabile est, propterea quòd id in iis sit quæ natura bona sunt atque iucunda, in eodem autem genere est amici status: fit vt amicus in iis numeretur quæ beato expetenda sint. Quod autem ei optabile est, ei adesse debet, aut hac parte aliquid ei deerit. Amicos igitur viros bonos, qui futurus est beatus, desiderabit.

Cap. 10. *Sed virum quamplurimi sint amici parandi, an quemadmodum in hospitalitate rectè dici videtur,*

Tu neque multorum, sed nec sis nullius hospes: *Sic deceat in amicitia nec omnino carere amicis, neque multitudinem amicorum nimiam sibi adiungere? Ac in iis quidem qui vtilitatis causa amicitias colunt, quod dictum est, admodum valere videatur. Difficile enim est multis vicissim opem ferre ac suppeditare: neque ad id agendum satis magnas opes & facultates habeant. Quare plures quàm res familiaris patiatur, superuacanei sint, afferántq; impedimentum ad vitam honestè degendum. Nihil igitur his opus est. Et sanè qui voluptatis causa amicitias instituunt. satis etiam habent, si huius generis paucos habeant amicos, sicuti in deliciis condimentum. At bonos viros ac virtute præditos, an quamplurimos sibi amicos adiungere debent? an vt ciuitatis, sic multitudinis amicorum certus est modus? Neque enim ex decem hominibus constat ciuitas, nec si ad centum millia excreuerint, etiámnum ciuitas est: numerúsque fortè non est vnus quidam & certus, sed omnis qui inter certos aliquos ac definitos constitutus est. Ergò amicorum quoque multitudo quædam certa est, ac definita. Ac fortasse ita definiri amicorum numerus possit, vt non plures sint quàm quibuscum liceat vitam familiariter*

traducere. Nam id amicitiæ maximè proprium videbatur. Nec verò dubium est fieri non posse, vt quisquam vitæ societate cum multis coniunctus sit, ac multis se tribuat atque impertiat. Iam verò illos etiam oportet esse inter se amicitia coniunctos, si id futurum sit, vt omnes consuetudine ac familiaritate consociati sint: hoc verò inter multos reperiri operosum est. Difficile etiam est & rebus prosperis gaudere, & aduersas grauiter cum multis ferre, vt se ad eorum sensum affectúmque accommodet. Ita enim euenire posse consentaneum est, vt simul cum vno voluptate afficiatur, doleátque cum altero. Quapropter fortè hîc præclarè agetur, si non quamplurimos amicos quæramus, sed tantum certè numerum, quantus satis sit ad vitæ simul degendæ institutum. Neque enim fieri videtur posse, vt quisquam sit multis valde amicus: ideóque ne amore quidem plures prosequi possunt, qui insano amore amant. Est enim huiusmodi amor velut suprema quædam ac nimia amicitia: quod in comparatione vnius tantùm cum vno cernitur. Quare si qua sit magna & vehemens amicitia, ea cum paucis intercedat necesse est. Quod etiam rerum vsu ac reipsa experimur. Neque enim inter multos ea iungitur, quæ sodalibus inter ipsos est amicitia. Et quæ fama celebres sunt amicitiæ, eæ inter duos sunt omnes. Qui verò multitudinem sibi adiungunt amicorum, quíque se familiariter gerunt cum omnibus, iis amici nemini videntur, nisi more ciuili: quales homines obsequiosos & blandos vocant. Ac vni quidem qui etiam ex genere horum obsequiosorum ac blandorum hominum non sit, sed qui verè sit bonus, amicitia cum multis ciuilis illa quidem intercedere potest: amicitia autem quam vnus contrahit & con-

ciliat, queq; amicis inter amicos propter se cõparatur, nõ potest. Sed preclarè agitur, si paucos huius generis reperiamus.

Cap. 11. Atque etiam hoc quæri solet, vtrum rebus secundis magis, an aduersis amici desiderantur. Nam in vtroque genere fortunæ quæruntur. Qui enim aduersa fortuna vtuntur, opis indigent : & qui secunda, conuictores requirunt, & quibus benignè faciant : alios enim volunt beneficiis demereri. Ac rebus quidem aduersis amicos habere magis necessarium est, ideóque tum desiderantur ex quibus fructus percipi possit: in rebus verò prosperis, pulchrius & honestius. Itaque tum viros probos sibi quærunt: quòd eos beneficiis afficere optabilius sit, & cum eis vitam degere. Suauis enim est ipsa amicorum præsentia, & in prosperis rebus & in aduersis. Mœrores enim & luctus facit amicitia communicans partiénsque leuiores. Quocirca id ambigi potest, vtrùm doloris quasi oneris socij sint amici, an non ita sit, sed eorum iucunda præsentia, & communicati doloris cogitatio, minorem facit ægritudinem. Sed vtrùm ob causas, an ob rem aliquam aliam leuetur eorum dolor, omittamus exponere: illud certè quod dixi, vsuenire videmus. Porrò eorum præsentia nescio quo pacto mixta & minimè simplex videtur. Nam amici aspectus ipse suauis est, ei præsertim qui in miseriis & calamitatibus versetur: in eóque ad depellendum dolorem subsidium quoddam est paratum. Amicus enim si qua valet dexteritate, & ingenio, & aspectu, & sermone, consolandi vim habet. Nam cùm eius habeat mores cognitos, tum quibus rebus delectetur & offendatur, intelligit: porrò sentire amicum suis incommodis dolere molestum est. Omnes enim cauent, ne amicis causas doloris adferant. Itaque qui

lentiæ, non possunt æquo animo ferre, si qua illos ægritudine vrgeri videant. Omninóque eos respuunt qui socios se præbent lamentorum: propterea quòd ne ipsi quidem propensi sunt ad lamentandum. At verò mulierculæ similésque muliercularum viri eorum potissimum consuetudine delectantur, qui socios se præbent gemitus & lachrymarum: eósque vt amicos & doloris socios diligunt. Sed par est scilicet in omni re optimum quemque imitari. In rebus autem prosperis cùm iucundam vitæ consuetudinem habet amicorum præsentia, tum verò suauem cogitationem, quòd iis ipsis rebus prosperis lætentur. Itaque vltrò ac cupidè ad societatem & communionem prosperitatum amici vocandi esse videantur (nam pulchrum est benignitate vti haud grauatè) ad societatem verò calamitatum, timidè ac rarò. Sunt enim quàm parcissimè mala amicis communicanda. Vnde illud, Satis est quòd ego miser sum. Tum autem vocandi sunt maximè, cùm leui suscepta molestia profuturi sunt plurimùm. Contrà verò decet fortasse amicum venire ad amicum aduersa afflictatum fortuna, non vocatum & vltrò, siquidem amici est benemereri, de iis præsertim ac maximè qui opis indigeant, & qui non rogarint: nam in vtroque præclarius ac suauius est. Ad eos verò qui in prosperitate sunt fortunæ, vt iis quidem adiumento sis, vltrò & alacriter eundum est (nam iis etiam in rebus necessaria est amicorum opera) vt verò beneficium accipias, sensim id timidéque faciendum. Neque enim honestum est, vltrò paratum esse ad vtilitatem ab altero capiendam. Sed tamen vitanda est forsitan in respuendo beneficio offensionis & acerbitatis opinio. Id enim interdum sanè vsuuenit. Ergo hoc quidem perspicuum

est, in omnibus rebus amicorum expetendam præsentiam.

Cap. 12. *Sed vtrùm vt in venereis amoribus ipse conspectus gratissimus est, quíque amant sensum hunc præ cæteris expetunt, quasi in eo potissimum amor constat, indéque nascatur, sic amici vitam victúmque communem maximè exoptant? Nam communicatio & societas quædam est amicitia: & quo modo in se quisque affectus est, eodem erga amicum. Atqui suus cuique de suo statu ac de suo (vt sic dicam) esse sensus optabilis est: & de amici igitur. Eius autem sensus actus operatióve in vita victúque communi consistit. Fare igitur vitæ societatem expetunt. Atque in quo quisque statum & suum (vt sic dicam) esse ponit, & cuius gratia viuere expetit, in eo vitam volunt cum amicis consumere. Quocirca alij vnà compotant, alij vnà se talorum ludo oblectant: nonnulli se exercent vnà ac venantur, quæ quisque in vita maximè adamant, totos dies conterunt, quæ quisque in vita maximè adamat. Quia enim viuere cum amicis vnà cupiunt, ea faciunt ipsi earúmque rerum communione iunguntur, in quibus consuetudinem vitæ putant consistere. Quapropter improborum vitiosa est ac deprauata amicita. Cùm enim instabiles inconstantésque sint, rerum malarum ineunt societatem: similésque ac pares inter se cùm fiant, improbi efficiuntur. At verò proborum proba est amicitia: quæ vsu & consuetudine augetur & confirmatur. Quinetiam videntur progressum in virtute facere, officiis & emendatione communi. Alter enim ab altero ea exprimit quæ grata sunt. Hinc illud,*

Virtutem ex iustis disces.—

Ac de amicitia quidem hactenus. Sequitur vt de voluptate disseramus.

ARISTOTELIS
Ethicorum liber X.

ARGVMENTVM.

AGITVR *primùm de voluptate, deinde de fœlicitate, tum de causis quibus efficiamur boni.* 1. *Voluptatem Eudoxus statuit esse summum bonum, quoniam omnia animalia voluptatem appetant, cuius doctrina ob probitatem morum fidem apud complures fecit. Aristoteles negat esse summum bonum, propterea quod ea sequatur acti nem etiam eam in qua statuenda est vera fœlicitas. Voluptates specie differunt ex actionum quas consequuntur, dignitate: quoniam nonnullæ voluptates actionibus quibusdam adiunctæ sunt impedimento aliis actionibus alterius generis. Nam cùm alicuius rei studio et actione vehementer delectamur, accidit, vt nihil aliud ferè agamus. Cæteris animalibus in sua propria specie est voluptas & proprius cibus, hominibus licet eiusdem speciei ineſt diuersa voluptas. Inter hominum voluptates ea est præstantior, quæ cuenit homini bono & secundum virtutem viuenti, cætera verò sunt secundaria.* 2. *Fœlicitas non in habitu, sed in actione est constituta, & ea quidem actione quæ propter se tantùm expetitur. Hæc est actio virtutis, non ea quæ ludo ineſt quoniam ludus suscipitur causa laboris. Est actio virtutis optimæ, hoc est sapientiæ procedens ex ea animi facultate quæ intellectus dicitur. nam omnium actionum nulla est contemplatione præstantior, nulla magis continua, nulla iucundior, nulla minus indigens bonis externis, cætera denique omnia quæ beato viro tribuuntur, hac ipsa actione continentur. Quare vt diuinum quiddam nobis est cum homine comparata sit vita, ei congruens & consentanea diuina est ad humanam, vt non iam mortalia sapere et spectare debeamus, licet mortales simus, sed quoad possumus niti ad immortalitatem.* 3. *Boni efficiemur tribus causis, natura, doctrina, & consuetudine: quarum duæ primæ sine hac non magnopere prosunt. nam bene agendi consuetudo ad bonos mores parandos maximè est necessaria. Si quis enim maximè adolescentum quibus modo ratè et constanter viuere est molestum, bonus futurus est, primùm rectè educari debet & assuescere, vnde honestis studiis ætatem conterere, quæque sunt flagitiosa nec sua sponte, nec inuitus admittere. Ad quod maximè opus est legibus, quibus ad virtutem dirigamur et excitemur, & à vitiis abducamur. Homines enim odio habentur ab iis hominibus non probis quorum obsistunt cupiditatibus, etiamsi id rectè facere videantur. At lex non est inuisa, non grauis, non molesta, cùm bonum æquúmque decernit: et lex plus valet ad rectam educationem in ciuitate quam patris auctoritas domi. Et quoniam plerique potius vi quàm ratione, & magis timore pœnæ quàm amore virtutis virtuti ad officium actionesque virtutis impelluntur, legislator et qui aliorum curam gerit, bonos exhortabuntur contumaces plectet, & eos qui sanari nullo modo poterunt, penitus exterminabit.*

HIS *expositis consequens fortassa sit de voluptate disserere, quandoquidem generi nostro maximè familiaris est & coniuncta. Itaque ad pueros instituendos voluptate & dolore quasi gubernaculo vtuntur. In eo etiã vis maxima* Cap. 1.

esse videtur ad virtutem morum, si gaudeamus quibus oportet, eáq; oderimus quæ odio habenda sunt. Patẽt enim ista per omnem vitã latissimè, in iisque magnum momẽtum, víq; magna est ad virtutem & beatam vitã. Nam & quæ iucunda sunt, omnes sequũtur: & quæ molesta, declinãt ac fugiunt. Quæ cùm ita sint, tum verò nõ sit vel hoc nomine prętermittẽda hæc disputatio, quòd magnàm ea, quæ ab Eudoxo dicũtur, adferunt dubitationẽ. Alij enim voluptatem summũ bonum esse dicunt: alij cõtrà valde magnũ malum. Atque horũ alij ita dicunt quòd eam vtiq; huiusmodi esse credãt: alij, quòd ita c[illegible]que melius putant actum iri cũ vita nostra, si voluptas, quanquã non sit, tamẽ ponatur in malis. Proclives enim ad eam esse plerosque, ac seruire voluptatibus. Itaque ducẽdos esse in contrariã partem. Sic enim perueturos ad mediũ. Sed hæc nequaquã rectè dicuntur. Omnis enim quæ de perturbationibus & actionibus habetur oratio, minorem quàm facta ipsa, habẽt auctoritatẽ. Cùm igitur dicta ab iis discrepãt, quæ perspicua sunt sensibus, tũ præter id quòd contẽptui habẽtur, veritatem ipsam tollũt funditus. Nam qui voluptatẽ vituperat, is siquãdo eam appetere deprehẽdatur, ad eam declinare videbitur, quasi non sit ex illo genere omnis voluptas. Neq; enim multis est discernere. Ergo veri sermones nõ solùm ad cognoscendum, verùm etiam ad viuendũ valere plurimùm vidẽtur. Cùm enim factis conuenientia dicta sunt, cõprobãtur. Ideóq; eos adhortantur, à quibus intelliguntur, vt vitã ad eos quasi ad normã dirigãt. Sed de his satis. Nunc ea explicanda sunt, quæ de voluptate feruntur.

Cap. 2. Eudoxus quidem voluptatem summum bonum esse dicebat, quòd omnia videret eam appetere, & quæ ratione vterentur, & quæ essent rationis expertia. In omnibus

autem rebus quod expetendum sit, bonum esse: adeòque optimum ac præstantissimum esse: quòd maximè optabile sit. Quod verò ad idem omnia ferantur, argumento esse, id summum esse omnibus bonũ. Nam singula quæque quod sibi bonũ sit reperire, haud secus quàm cibũ. Quod igitur omnibus bonũ sit, quódq; omnia expetãt, id summũm bonũ esse. Quæ eius rationes comprobatæ sunt, nõ sua vi solùm & põdere, sed multò magis virtute ipsius & moribus. Præstanti enim ac singulari habitus est temperantia. Non igitur tanquam voluptatis amãs hac vti oratione videbatur, sed quòd reuera ita se res haberet. Nec verò ex contrario minùs idem hoc perspicuũ fieri putabat. Dolorẽ enim omnibus per se esse fugiendũ, itémque expetendum contarium. Maximè autẽ expetendũ esse, quod rei nullius causa repetimus: qualis esset vel omnium consensu voluptas. Neminem enim quærere, quamobrem quis voluptate afficiatur, quasi per se & propter se sit voluptas expetenda. Quæ si ad bonum quoduis addatur, veluti ad iustè & modestè facta, magis id expetendum sua accessione efficere. Atqui bonorum amplificatio & incrementum, nisi ab iis quæ etiam bona sint, fieri non potest. Verùm hæc quidem ratio voluptatem in bonis esse ostendit, sed non magis quàm aliud quiduis. Quicquid enim bonum est, omne coniunctum cum alio optabilius est, & magis expetendum, quàm ipsum separatim. Qua etiam ratione Plato refellit hanc sententiam, quæ voluptatem asserit esse summum bonum. Magis enim expetendam vitam iucundam cum prudentia coniunctam, quàm absque prudentia. Quòd si melior sit coniuncta, & cum alio mista voluptas, non esse in ea summum bonum. Nullius enim accessione boni summum bonum magis ex-

petendum effici posse. Illud verò perspicuum est, non posse aliud quicquam summum bonum esse, quod coniunctum cum alio, quod per se bonum sit magis expetendum & optabilius existat. Quid ergo illud tandem est quod huiusmodi sit, quo & nos quidem participes simus? tale enim quæritur. Nam qui negant bonum id esse quod omnes appetant, ij nihil quicquam dicunt. Quod enim videtur omnibus, id esse dicimus. Nec qui tollet hanc persuasionem, aliquid verisimilius adferat. Etenim si sola mentis expertia eas expeterent, aliqua esset eorum oratio. Sin ea etiam quæ prudentia vtuntur, quid est quod possint dicere? Quinetiam corruptis & deprauatis fortasse à natura quædã boni particula tributa est, præstantior & melior quàm sint ipsa per se, quæ bonum naturæ accomodatum expetit. Sed nec refutatio vera videtur illius rationis quæ de contrario adfertur. Negant enim si dolor malum sit, continuò sequi vt voluptas sit bonum. Malum enim malo esse contrarium, & neutri vtrunque. Quod cùm dicunt non malè illi quidem dicunt, sed quę tamen verè locum habere in iis nõ possunt, de quibus agitur. Si enim vtraq; sint in malis, fugienda esse etiam oportet vtraque: sin neutra, neutrum, aut similiter. Nunc constat homines fugere alterum vt malum, alterum sequi vt bonum. Ita ergo sunt inter se contraria.

Neque verò si voluptas non est in genere qualitatum, idcirco in bonis non est: quippe cùm nec virtutis actiones qualitates sint, nec fœlicitas. Contendunt autem bonum certum esse & finitum, voluptatem infinitam & incertam, propterea quòd accessionem & decessionem admittit. Atqui si ex eo quòd est voluptate affici, id iudicant, idem valebit in iustitia cæteríque virtutibus omnibus, in-

Cap. 3.

quibus contentionem & remissionem manifestò admittunt, quiex iis quales cognominatur: vnde fit vt pari ratione ipsę virtutes accessionẽ capere dicantur & remissionẽ. Alij enim aliis sunt & iustiores & fortiores. Et potest aliquis iustè agere, & temperanter magis & minùs. Sin ipsis in voluptatibus id velint inesse, satis explicatè nunquam causam adferant, cur sint aliæ immixtæ & simplices, aliæ mixtæ & coniunctæ. Quid verò prohibet, vt sanitas, quæ certa est & finita, contentionem tamẽ admittit & summissionem: sic maiorem fieri & minorem voluptatem? Non enim vel omnium est eadem temperatio, vel aliqua vna semper in eodem statu, sed est quatenus remissa adhuc permanet, differtque intentione & remissione, quod idem in voluptate potest contingere. Præterea cùm summum bonum perfectum quidam & absolutum ponant, motiones autem & ortus imperfectos, voluptatem motum ortúmque esse ostendere conantur. Quod nec videntur rectè dicere, nec voluptas est motus. Propria enim est omnis motionis velocitas & tarditas: & si non per se, veluti ei quæ mundo attributa est, at certè per comparationem ad aliud. At neutrum horum voluptati accidit. Fieri enim potest vt quemadmodũ ad iram, sic aliquis citò ad voluptatẽ sit incitatus: vt autem in voluptate sit celeriter, nõ potest, nec facta quidẽ cum alio cõparatione. Ac celeriter ambulare & crescere potest, & si qua sunt eiusdem generis. Fieri ergo potest vt celeriter tardéue mutemur in voluptatẽ: vt autẽ celeriter sit in nobis actus voluptatis, id est gaudeamus, & afficiamur voluptate, nõ potest. Ortus porrò quo tãdẽ pacto futura est? Nõ enim ex re qualibet quiduis oritur, sed occidũt in id omnia, vnde orta sunt, & cuius ortus est voluptas, eius interitus erit dolor. Deinde dolorem dicũt

indigentiam esse eius quod naturæ accommodatum est, voluptatem eius expletionem. Hæc verò sunt corporis effectus. Si ergo voluptas expletio est eius, quod secundum naturam sit: in quo fuerit illa expletio, id profectò erit quod voluptatem percipiet. Corpus ergo erit quod capiet voluptatem. At non videtur ita esse: non est igitur voluptas expletio. Verùm cùm sit expletio, tũ quis voluptate afficitur: & cùm secatur, dolet. Sed hæc opinio nata videtur ex iis voluptatibus & doloribus, quæ ex cibo alimentóque capiuntur. Nam qui ieiuni atque inanes fuerunt, in eóque desiderio dolore affecti, pòst expletione oblectantur. At non omnibus id voluptatibus contingit. Vacant enim dolore & mathematicæ voluptates, earúmque quæ sensibus percipiuntur, eæ quæ ad odoratũ pertinent, atque etiam acroamata & spectacula, multæ præterea recordationes, & spes absque vllo dolore suaues sunt & iucundæ. Quæ quidem cuius tendem rei ortus sunt futuræ? præsertim cùm nullius rei præcesserint indigentiæ, nulla vllius rei desideria, cuius fiunt expletiones. Nam iis quidem hominibus qui obscœnas & probro dignas voluptates adferunt, respondendum est, non esse illa iucũda. Non enim si hominibus malè affectis iucunda ea sunt, idcirco putanda sunt simpliciter iucunda, sed bis modò talibus: sicuti nec ea quidem salubria sunt, quæ ægris videntur, nec dulcia, aut amara: nec rursus alba putanda, quæ lippientibus alba videntur. Aut certè hoc modo respondendum sit, voluptates quidem esse expetendas, sed non ab iis rebus profectas: vt sunt diuitiæ optabiles, at non ex proditione: & bona valetudo expetenda, sed tamen non ex cuiuslibet rei esu. Aut verò dicendum specie voluptates differre. Diuersæ enim sunt quæ ex honestis rebus capiuntur, ab iis quæ

ex turpibus. Nec iusti hominis voluptate affici quis potest, nisi idem sit iustus, nec musici capere voluptatem, qui musicus non sit: eadémque est ratio cæterarum. Videtur autem amicus quoque, qui ab assentatore plurimùm differt, ostendere voluptatem non esse bonum, aut certè specie voluptates differre. Illi enim vt bono sit cum amico versatur, hic vt sit voluptati: atque hoc vitio datur, illud laudi ducitur: ex quo diuersa esse, ad quæ referunt suos congressus, intelligitur. Nemóque est, qui vt iis voluptatibus, quàm maximè fieri potest, perfruatur, quibus pueri ducuntur, velut in puerili mente degere omnem ætatem: neque ex turpibus factis voluptatẽ capere nullo vnquam impendente doloris metu: multarũ denique rerum studio trahi solemus, etiam si nullã voluptatem adferant: vt videndi, vt recordandi, vt sciendi & virtutes comparandi. Nec sanè quicquã refert, quòd necessariò voluptates ex iis consequuntur: quippe cùm ea optaremus ac sequeremur, etiam si nulla ex iis voluptas gigneretur. Ergo illud quidem perspicuum est, nec summum bonum voluptatem esse, nec omnem expetendam: etiam illud, per se expetendas aliquas, quæ specie inter se differunt, aut iis rebus ex quibus oriuntur. Ac de iis quidem, quæ de voluptate & dolore dicuntur, satis supérque dictum est.

Quid autem sit, aut quale aliquid, apertiùs, si paulò altiùs repetamus, intelligetur. Aspectus enim perfectus est quacũque temporis quo aspicimus parte. Hic enim nullius rei penuria est, quæ temporis successu formam eius absoluat. Huic est similis voluptas, quæ totum quippiam est semper. Nullo enim tempore quisquam ita capere voluptatem potest, vt successu temporis opus sit quo tandem eius perficiatur species. Quare ne motus quidem est. Motus enim om- Cap. 4.

nis in tempore fit: finémque aliquem & terminum ſpectat. Veluti motio quæ eſt in ædificando, tũ perfecta abſoluáque eſt, cùm id quod exoptat effecerit. At in toto quidẽ tempore hoc ſic habet, id eſt motus perfectus eſt: in partibus verò temporis omnes imperfecti ſunt, differuntq; ſpecie à toto motu: & illæ etiam partes inter ſe. Lapidũ enim compoſitio à colũnarum erectione differt, & hæ ipſæ à tẽpli effectione. Ac templi quidẽ ſtructura, vndique perfecta eſt, cùm ei nihil deſit eius quòd propoſitũ fuerat: crepidinũ autem & laquearum, imperfecta: vtraque enim patris eſt. Specie ergo differunt: nec poteſt in vllo, niſi in toto tempore reperiri motus ſpecie perfectus. Similis eſt ratio ingreſſus & cæterarum motionum. Etenim ſi loci mutatio motus eſt aliunde aliquo, & huius profectò in ſpecie differentiæ; volatus, ingreſſus, ſaltatio, & alia eiuſdem generis. Verùm non ita ſolùm reperitur in hoc motu ſpeciei diſtinctio, ſed in ipſo etiam inceſſu. Nam hinc illuc moueri non eſt idem in ſtadio, & in parte ſtadij: neque in alia atque alia parte: neque idem eſt huius & illius lineæ tranſitus. Non enim ſolùm linea pertranſitur, ſed etiam linea quæ in loco ſita eſt. At in alio loco hæc atque illa ſita eſt. Sed de motu ſanè aliis libris accuratè ac ſubtiliter diſputauimus. Illud nunc apparet, non eſſe omni tempore perfectum motum, ſed imperfecti ſunt multi, qui etiam ſpecie inter ſe differant: ſiquidem termini vnde & quo, ij ſunt qui ſpeciem conſtituunt. At verò voluptatis eſt in quolibet tempore perfecta forma. Ita perſpicuum eſt & inter ſe hæc motum inquam & voluptatem, differre: & in iis eſſe voluptatem quæ integra totáque ſint atque perfecta. Quod vel hinc quoque perſpici poteſt, quia nihil moueri niſi in tempore poteſt; at volupta-

te affici potest. quod enim in puncto tẽporis est, id totũ quiddam est atque vniuersum. Ex quibus hoc quoque perspicuũ est, non rectè ab iis motũ aut ortum dici voluptatem. Neque enim hæc ipsa sunt rerum omniũ, sed earũ duntaxat quæ diuiduæ sunt in partes, non ipsa quædam tota. Nec enim aspectus ortus est, nec puncti nec vnitatis: nec quicquam eorum est motus aut ortus. Nec igitur voluptas est motus aut ortus: quippe quæ res est quædã tota & vniuersa. Cùm verò sensus omnis in eo suum munus exequitur quod sub ipsum cadit, tũ is qui bene affectus est, in eo absolutè munùs officiúmque suũ tuetur, quod omnium quæ sub sensum illud subiecta sunt, est præstantissimum: siquidem tale quiddam muneris functio perfecta videtur maximè (porrò vtrum sensum agere dicamus, an id ipsum in quo versatur, nihil hîc interest) in omnibus sanè optimus est actus eius quod optimè affectum est ad id quod est omnium quæ sibi subiecta sunt præstantissimum, qui idem sit necesse est & perfectissimus & suauissimus. Est enim sua cuiusque sensus voluptas propria, itémque cogitationis & contemplationis. Ea autem plurimum habet iucunditatis, quæ est absolutissima. Et ea demum est absolutissima eius quod bene affectum est ad eam rem quæ omnium optima est earum quæ sibi propositæ sunt. Perficit autem actum voluptas, sed non ita perficit, vt res sensui subiecta, & sensus ipse, cùm bona atque integra sunt: sicuti ne valetudo quidem & medicus eodem modo causa sunt vt bene valeamus. Quòd autem in quoque sensu sua sit quædam voluptas, vel hinc planum est, quòd spectacula & acroamata iucunda esse dicimus. Ac illud quidem etiam perspicuum est, ita denique summam voluptatem futuram, si & sensus sit optimus, &

in aliqua re eius generis occupatus. Cúmq; erunt eiuſmodi, res ſub ſenſum ſubiecta, & id quod ſentit, ſemper erit voluptas: quippe cùm præſto ſit quod agat, quódque patiatur. Sed actum abſoluit voluptas, non vt ingenitus quidam habitus, ſed vt complementum quoddam ac finis accedens: veluti hominibus qui in florenti ſunt ætate, ſpecioſa forma. Quandiu porrò res ſenſui ſubiecta vel intelligentiæ talis manet, qualis debet, itémque, & quod iudicat, & quod contemplatur, tandiu futura eſt in ipſo actu voluptas. Etenim ſi quod agit, quódque patitur ſimilia permanent, eodémque modo inter ſe affecta, eadem res ſolet exiſtere natura. Quid ergo cauſæ eſt, cur nemo aſſiduè afficitur voluptate? An defatigatur? humanę enim res omnes actum aſſiduũ nõ poſſunt pati. Idcirco ne voluptas quidẽ poteſt eſſe ſempiterna: actum enim comitatur. Res autem quædam placent illæ quidem & delectant, cùm nouæ ſunt, ſed poſtea non æquè: ob hanc cauſam. Primum enim inuitatur & allicitur animi cogitatio, atque in ea res tota intenditur, vt aciem oculorum intendunt, qui attentiùs aliquid intuentur: poſtea actus eiuſdem modi non conſequitur, ſed remiſſior ac negligentior. Ita voluptas quoque obſcuratur. Omnes porrò voluptatem appetere ex eo putandum eſt, quòd omnes etiam viuere cupiunt. Vita autem actus quidam eſt. In iiſque rebus potiſſimum agendo quiſque verſatur, eáſque ſui facultates plurimum vult agendo eſſe occupatas, quas maximè adamat. Vt muſicus auditu plurimum vtitur, in cantibus: diſcendi cupidus, mente in rerum cognitione & contemplatione: itémque cæteri. At voluptas, actus, operationéſve complet & abſolvit, quare & vitam: cuius cupiditate omnes incenſi ſumus. Ergo voluptatem quoque expetunt, nec ſine cauſa: qui-

pe cùm vitã, quæ cuiq; optabilis eſt, cõplet ac perficit. Vtrùm autem vitam ob voluptatẽ expetamus, an contrà voluptatem propter vitam, nunc omittamus quærere. Compulata enim hæc inter ſe vidẽtur, & neutrum ab altero diuelli ac ſeiungi poſſe. Nam & voluptas ſine actu non exiſtit, & omnem actum perficit voluptas.

An in toto quidem tempore hoc ſic habet.] Germanici exemplaris lectio eſt veriſſima, ſi legatur τοῦτο, non τούτῳ hoc modo: ἢ ἐν ἅπαντι δὴ τῷ χρόνῳ τοῦτο, ἐν δὲ τοῖς μέρεσι. Quid autem velit Ariſt. facile eſt ex meâ interpretatione intelligere.

In iiſque rebus potiſſimum agendo quiſque verſatur.] Verba Ariſtot. ſunt: καὶ ἑκάστοις ἀεὶ ταῦτα καὶ τούτοις ἐνεργεῖ. In quibus illud ἀεὶ ταῦτα ad res in quibus verſatur actio, referri debet: & illud καὶ τούτοις ad inſtrumenta actionis.

Ex quo videri etiã poteſt, voluptates ſpecie differre. Nã quę ſpecie diuerſa sũt, ab iis perfici & abſolui arbitramur, quę ſunt ſpecie diuerſa. Cõſtat enim ſic ſe habere omnia & quę natura, & quę arte ſolẽt effici. Vt animalia, & arbores, & picturas, & ſtatuas, & domũ, & vas. Patet igitur eodẽ modo actus ſpecie differẽtes, ab iis compleri ac perfici quæ ſpecie differãt. Atqui mentis operationes à ſenſuum actionibus, & hæ inter ſe ſpecie differunt. Quare & voluptates quæ eas complent & abſoluunt. Idq; ex eo etiam intelligi poteſt, quòd vnaquæq; voluptas cum eo actu coniuncta, & quodãmodo implicata eſt, quem complet ac perficit. Auget enim, ac vegetiorem reddit operatiorem ſua natiuáque voluptas. Acriùs enim ac ſubtiliùs iudicant exquiruntq; omnia, qui rem gerunt & tractãt cum voluptate. Verbi cauſa geometriæ peritiores fiunt quirebus geometricis tractãdis oblectantur, iiq; meliùs omnia intelligunt. Itémq; & muſicæ & architecturæ ſtudioſi, & cæterarum artium ſinguli artifices, ſuo quiſque operi perficiẽdo magnos faciũt progreſſus, cũ eo delectantur. Adaugẽt igitur ſtudia & operationes, ipſę voluptates. Qui verò rẽ adaugẽt Cap. 5.

& amplificat, illi sunt finitima ac propria. Quæ autẽ iis rebus quæ specie differunt, finitima ac propria sunt, ea etiam specie differunt. Iam verò hinc etiam apertiùs hoc ipsum intelligi potest, quòd quę à diuersis rebus ortæ sunt voluptates, actionibus impedimento sunt. Qui enim tibiarum cantu tenentur, nõ possunt verba quæ interim fiũt, aduertere, si tibicinẽ modulantem audiãt, quia maiorem voluptatem ex tibiarũ cantu capiant, quam ex præsenti actione. Voluptas igitur quam parit tibiarum numerus, eam euertit actionem quæ in oratione versabatur. Quod idem in aliis contingit, cùm simul duabus rebus operã damus. Quæ enim plus habet oblectationis, excludit & excutit alteram: eóque magis quo maior est voluptas, adeò vt nihil iam alterius relinquatur, ac nullã omnino operam det alteri. Itaque cùm vehemẽter nos res quælibet delectat, non admodum aliud agimus: sed tum alias res agemus, cùm ex aliis leuem capimus voluptatem, aliáq; leuiter placent: Quod iis vsuuenit, qui in theatro edunt bellaria. Id enim faciũt tũ maximè cùm imperiti ignobiléque concertant. Quòd si voluptas propria accuratiores facit ac diuturniores, melioréque operationes: quæ autem alienæ sunt, corrumpunt & lebefactant, perspicuum est inter eas interesse plurimùm. Ferè enim idem faciunt alienæ voluptates, quod proprij dolores. A propriis enim doloribus tolluntur actus. Vt si cui iucundum ac molestum est scribere, aut rationes subducere alteri, ille non scribet, hic non subducet rationes: quia scilicet sit eis molesta actio. Ergo in actibus contrarios habent effectus, voluptates propriæ & propri dolores. Propriæ autem sunt, quæ actus per se comitantur, in ipsoque actu per se insunt. Alienas verò voluptates simile quiddam doloris facere dictum

est: interimunt enim atque euertunt, etsi non eodem modo. Quoniam autem actiones probitate differunt & improbitate, & aliæ expetandæ, aliæ fugiendæ, aliæ neutræ atque indifferentes sunt, efficitur vt sit eadem ratio in voluptatibus. Sua enim cuiusque operationis est voluptas. Quæ ergo propria est bonæ, ea est proba atque honesta: quæ malæ, improba. Nam & cupiditates quæ sunt actionum honestarum, laudandæ sunt: quæ turpium, vituperandæ. Atqui propinquiores sunt actionibus, & coniunctiores quæ in ipsis insunt voluptates, quàm cupiditates appetitionísve. Hæc enim sunt ab illis disiunctæ & temporibus & natura. Voluptates autẽ ita prope accedũt ad actiones, adeóq; indistincte sunt, vt idémne sit voluptas quod actus, ambigatur. Non tamen rectè videatur voluptas esse ipsa mentis actio, aut ipse sensus. Id enim absurdum sit. Sed quia nõ separantur, idem videntur esse nonnullis. Vt igitur sunt inter se diuersi actus, ita voluptates. Differt autem visus à tactu puritate, & à gustatu auditus & odoratus: quare & similiter different inter se horum sensuum voluptates, tum verò & ab iis quę mentis sunt propriæ, & inter se vtræque. Porrò autem vt est suum cuique animanti munus officiúmq;, sic sua cuiq; animalium voluptas videtur esse attributa: ea scilicet quæ propriam cuiusque operationem comitatur. Id quod singula spectanti videbitur. Alia est enim voluptas equi, alia canis, alia hominis. Verúmque est illud Heracliti, Asinos stramen malle, quàm aurum. Est enim asinis pabulum auro suauius. Atque hæ quidem quæ propriæ sunt eorum quæ specie differunt, aduersæ etiam sunt specie: quæ autem eorum sunt quæ eadem sunt, eas consentaneum est non esse differentes. Quinquam in hominibus magna est earum di-

ſtinctio. Eadem enim res alios offendit, alios delectat: nonnulliſque moleſta atque odioſa eſt, aliis ſuauis & optanda. Quod etiam in rebus dulcibus contingit. Non enim eadem videntur dulcia iis, qui febri afflictantur, & bene valenti: neque idem calidum ei qui imbecilla & infirma eſt valetudine, & ei qui habet corpus bene conſtitutum: ſimilitérque ſit in cæteris. In quibus omnibus id videtur verũ quod viro bono, ac virtute prædito videtur. Quòd ſi præclarè ac verè dicitur, quemadmodum & videtur, éſtque rerum omnium menſura & norma, virtus ac vir bonus, qua talis eſt: voluptates profectò eæ verè habendę ſunt, quę huic videntur: & iucunda ea, quibus hic gaudet. Quæ autem ei grauia ſunt & moleſta, ea ſi cui ſuauia videantur, nihil mirũ. Multæ enim ſunt hominum corruptiones, multæ pernicies & peſtes. Neque ea ſunt iucunda, ſed his modò, & ita affectis iucunda. Ergo eas quidem, quas obſcœnas & turpes eſſe conſtat, perſpicuum eſt non eſſe nominandas voluptates, niſi hominum deprauatorum. Sed earum quæ probę & honeſtę videtur, quę tandẽ, qualíſve hominis propria voluptas habenda eſt? An id perſpici poteſt ex actionibus? eas enim voluptates conſequuntur. Siue ergo vna, ſiue plures habẽdę sũt perfecti ac beati viri actiones, profectò quæ has cõplebũt & abſoluũt, eæ pròprię & verè dicentur hominis voluptates, cæteræ ſecundum locũ, ídque multifariã, vt etiam actiones, obtinebunt.

Reliquum eſt, quoniam de iis diſſeruimus quæ ad virtutes, amicitias & voluptates pertinebant, latiori ſpecie, non ad tenue elimata oratione de beatitudine dicamus: præſertim cùm in ea rerum humanarũ finem vltimúmque ponamus. Quòd ſi quæ ſuprà dicta ſunt, paulò altiùs repetamus, breuior futura eſt oratio. Habitum quidem eam

esse negauimus, quia dormiẽti per omne tempus ætatis, & qui vitã plantarum degeret, adesse posset, eique adeo qui in maximis calamitatibus & miseriis versaretur. Quæ si minùs probantur, potiúsque in quodam actu ponenda est, vt suprà docuimus: actus autẽ alij sunt necessarij, & propter aliud expetendi, alij per se: perspicuum est fœlicitatem in eorũ aliquo esse ponendam, qui per se expetendi sunt, non propter aliud. Nihil enim beata vita desiderat, nihil requirit, nullo eget, sed seipsa contenta est. Sunt verò per se expetendi, à quibus nihil præter ipsum actum petitur, ex quo genere vidẽtur virtuti consentaneæ actiones, (Nam quæ honesta sunt, quæque virtuti congruunt agere, in illis ducitur quæ propter se expetẽda sunt) atque etiam eæ quæ gratæ sunt & iucundæ ludorũ oblectationes. Neque enim propter aliud expetuntur. Læduntur enim ab iis potius, quàm iuuantur, adeò vt nec corporum nec rei familiaris rationem habeant, & cõfugiunt ad hæc vitæ instituta plerique eorum qui beati putantur. Itaq; apud tyrãnos honorati sunt ij qui in rebus & institutis huiusmodi festiuos se facetósque prębent. Quarum enim rerũ cupiditate illi incensi sunt, in iis se iucundos præbent isti: quales illi homines requirunt maximè. Atque hæc ipsa quidem videntur beatæ vitæ propria esse: propterea quòd homines principatu, imperio & potestate præditi, iis rebus plurimum operæ tribuunt, & iis perfruendis plurimum occupantur. Sed fortasse ex iis non æquum est sumere argumentum. Neque enim in potentia & imperio virtus & mens, à quibus bonæ & honestæ operationes proficiscuntur, positæ sunt. Nec si propterea quòd nullam partem liquidæ voluptatis & liberæ vnquam gustarunt, se corporis voluptatibus dedant, idcirco eæ putandæ sunt optabiliores. Nam

pueri etiam quæ apud ipſos ſunt in honore & precio, optima exiſtimant. Conſentaneum eſt igitur, vt alia pueris, alia viris in precio ſunt: ſic improbis alia eſſe, quàm probis. Quare ea demum (vt ſæpe dixi) habenda ſunt honorata & iucunda quæ viro bono ac virtute prædito huiuſmodi videbuntur. Porrò ea demum eſt vnicuique maximè expetẽda actio, quæ à ſuo cuiuſque habitu ducitur. Et bono igitur viro ea quæ è virtute eſt. Non eſt igitur in luſu beata vita. Nam abſurdũ ſit profectò finem rerum omniũ in ludo ponere, tótque ac tãtas res gerere, tot vitę pericula adire, tãta mala per omne tẽpus ætatis perferre, ob eã vnã cauſam vt poſſis ludere. Omnia enim, penè dixerim, excepta beata vita, propter aliud expetimus. Eſt enim ea finis & extremum omniũ. Multũ porrò ſtudij curæq; ponere, & laborem ferre vt ludas, ſtultũ quiddam & nimium puerile eſt: At ludere vtres ſerias gerere poſſis, Anacharſidis ſententia æquum eſt. Quoniam enim ludus requieti & ceſſationi ſimilis eſt, quoniámq; laborem continẽter ferre minimè poſſumus, ceſſatione & requiete opus eſt. Non eſt igitur in otio & ceſſatione finis poſitus, quippe quæ ad actionẽ operationémve referatur. Sed beata vita ea eſt quæ ex virtute degitur, quæ eadem profectò ſeria eſt, non in ludo poſita. Res porrò ſerias meliores cenſemus ridiculis & quæ cum luſu & iocis coniunctæ ſunt: & melioris ſemper partis atque hominis meliorem graniorémque ac magis ſeriam actionem. Quòd ſi melioris, actus eſt præſtantior; eum iam neceſſe eſt magis eſſe ad beatã vitam accommodatum. Voluptatibus etiam corporis frui quiuis poteſt, etiam mancipium, non minùs quàm vir optimus. At beatitudinem mancipio nemo tribuat, quando ne vita quidem vitalis ei iure tribui poſſit. Non enim in talibus vitæ de-

gendæ rationibus fœlicitas, ſed in virtute conſentaneis (vt antè dixi) actionibus officiiſque conſiſtit.

Quod ſi optimè cuiuſque partis] In Græco codice, vbi legitur ἡ δὲ τῦ βελτίονος, legendum eſt εἰ δέ.

Quando ne vita quidem vitalis]Εἰ μὴ καὶ βίος, Ego hic nihil ſubaudiandum exiſtimo: ſed cùm aliud ſit ζωὴ, aliud βίος, vt omnibus linguæ Græcæ peritis manifeſtum eſt, Ariſt. vult βίον mancipiis tribui non poſſe, tametſi ζωὴ his conueniat. Nam βίος vitæ genus & viuendi rationem ſignificat: quod non magis in mancipi cadit, quàm in beſtias. Hoc ergo vult Ariſt. fœlicitatem mancipiis tribui non poſſe, niſi etiam eis attribuere velimus vitæ quoddam inſtitutum, quam ergo vitalem appellaui.

Quòd ſi beatitudo eſt actio virtutis, conſentaneum eſt, Cap. 7.
vt ſit eius potiſſimum virtutis actio, quæ eſt præſtantiſſima: quam eandam neceſſe eſt eius partis eſſe, quæ in homine optima eſt, ſiue ea quidem mens eſt, ſiue aliud quippiam, quod lege naturæ imperare debet ac regere, notitiámque in ſe rerum honeſtarum ac diuinarum continere: ſeu diuina quædam res etiam ipſa eſt, ſeu in nobis ea nihil eſt diuinius: in eius certè actione virtuti propriæ conſentanea, completa & abſoluta beatitudo ponetur: quam eandem actionẽ in cognitione & contemplatione cõſiſtere dictũ eſt. Atque id videri poteſt, & ſuperioribus reſpondere & cõſpirare cum veritate. Omniũ enim actionũ nulla eſt hac præſtantior, nulla melior. Nam & mẽte nihil melius in nobis eſt, & eorum quæ cognitioni ſubiecta ſunt, nihil præſtantius iis, in quibus mẽs ipſa verſatur. Tum iſta actione nulla eſt magis cõtinua, nulla magis perpetua. Nam cõtemplari magis cõtinenter, quàm aliud quiduis agere poſſumus. Propterea voluptatẽ putamus implicari & admiſceri debere cum beatitudine. Atqui omniũ actionum quæ à virtute manãt, nulla eſt iucundior omnium cõſenſu, nulla ſuauior ea quę à ſapientia proficiſcitur. Itaq; mirabiles quaſdam ſapientia, puritate & ſtabilitate habet voluptates. Verùm id quoque conſenta-

neum est doctos quàm dubitantes & inscios iucundiorem vitam traducere. Illam etiam quæ fertur satis ampla, & se ipsa contenta rerum abundantia, in contemplandi actione maximè reperitur. Omnium enim rerum quæ ad vitam degendam sunt necessariæ, & sapiens vir & iustus, & cæteri omnes indigent. Sed hæc si talibus hominibus abunde suppetent, adhuc tamen vir iustus, apud quos & quibuscum res iustas tractet, desiderabit: itémq; moderatus & fortis & cæteri. At verò sapiens etiam solus potest in rerum cognitione versari, eóque magis, quò erit maiore sapientia ornatus & instructus. Cui quanquam fortassis melius est, quibuscum actiones suas communicet, præsto esse, tamen se ipse est contentus maximè. Videtur etiam hæc actio sola propter se diligi: quippe ex qua præter contemplationem ipsam nihil redeat: ac rebus verò agendis, præter actionem plus minúsve consequimur. Beatitudo etiam in tranquillo quodam otio videtur consistere. Negotia enim suscipimus, vt in otio simus, & bella gerimus ob eam causam, vt in pace viuamus. Ac virtutum quidem actus earum quæ in rebus agendis cernuntur, in ciuilibus aut bellicis rebus, positi sunt. Quæ verò in his versantur actiones, negotiosæ videntur. Ac bellicæ quidem omnino. Nemo enim bellum ob eam vnam causam vt bellum gerat, gerere instituit, aut bellicum apparatum instruere. Crudelis enim videatur omninò, & planè sceleratus, si quis amicos sibi hostes faciat, vt pugna edatur, fiántq; cædes. Est verò etiam negotiosum munus eius qui in Reipub. luce versatur, eíque præter Reip. administrationem proposita sunt imperia & honores: aut certè ipsam beatam vitam sibi procurat & ciuibus, aliam à ciuili: quam etiam quærimus, tanquam ab

illa diuersam: vt per se planum ac perspicuum est. Quòd si inter omnes virtutis actiones, bellicæ & ciuiles multò præstant & pulchritudine & magnitudine, hæ autem negotiosæ sunt finémque aliquem spectant, nec propter se expetuntur: mentis verò actio, & studio longè antecedere videatur, vt quæ in rerum contemplatione consistat, & præter se finem sibi nullum proponit, & propriam habet sibíque familiarem voluptatem, quæ sanè actioni magnam facit accessionem: tum verò & illa seipsa contenta rerum abundantia, & otium, & vacuitas defatigationis, quantum natura humana patitur, cætera denique omnia quæ beato viro tribuuntur, hac ipsa actione contineantur, hanc profectò vndique perfectam beatitudinem hominis esse necesse est, si perfecta & obsoluta vitæ longitudo accesserit. Nihil enim in beata vita non perfectum potest existere. Quæ talis vita profectò melior sit, quàm hominis natura ferat. Eam enim vitam deget non qua homo est, sed qua in eo diuinum quiddam inclusum est: quod quantò præstat ei quod concretum est, tantò eius actio ei quæ à ceteris virtutibus proficiscitur, antecellit. Vt igitur diuinum quiddam mens est cum homine comparata, sic vita ei congruens & consentanea diuina est ad humanam. Omnes porrò debemus, non vt hortentur quidam, humana sapere ac spectare, cùm homines simus, & mortalia, cùm mortales: sed, quoad possumus, niti ad immortalitatem, omniáque perficere, vt vitam ex ea degamus, quo nihil est in nobis præstantius. Etsi enim mole exiguum est, at vi certè & dignitate multũ rebus omnibus intecellit. Quin etiam videtur quisque illud ipsum esse, siquidem id sit quod in nobis est optimum, quódque principatum obtinet. Quò

indignius sit, non suam quemque vitam sequi, sed alienam. Quódque suprà dictum est, nũc bene conueniet, nempe quod cuique propriè accõmodatum sit à natura, id cuique esse & optimum & suauissimum : Et vita igitur homini est suauissima quæ mente excolenda traducitur : siquidem est homo hæc pars maximè.

Cap. 8. *Est igitur hæc vita etiam beatissima. Secũdo verò loco beatitudinis ea vita, quæ reliquis virtutibus conuenienter ducitur: illarum enim actiones, sunt humanæ. Nam & iustitiæ & fortitudinis, cæterarúmque virtutũ muneribus, officiísq; nos inter nos fũgimur, cùm in rebus contrahendis, omni rerũ vsu, actionibus omnis generis, deniq; animi perturbationibus suum cuique decorum tribuimus: quæ ad naturam humanã perspicuum est omnia pertinere, immò verò quædam etiam à corpore profecta videntur, accidere: magnúmque adeò commerciũ cum perturbationibus moralis virtus habere. Copulata verò est & connexa prudentia cum virtute morali, & hæc ipsa cum prudentia. Nam & prudentiæ initia manant à virtutibus morum: & quicquid in eis est rectum, id omne prudentia dirigitur. Quòd si hæ ipsæ perturbationibus cohærent, in eo toto, quod ex anima & corpore concretum est, sitæ sint necesse est. At huius compositi ac concreti virtutes, humanæ sunt: quare & vita quæ ad eos dirigitur ac beatitudo ipsa, humana erit. At vero quæ mentis est propria ab illo separata est. Nam de ea hactenus dictum sit : quoniam de ea subtilius disputare maioris negotij sit : quàm quod suscepimus. Sed paulum admodum hæc externa bona & affluentiam, aut minùs certè quàm moralis, videtur requirere. Nam vt rerum ad viuendum necessarium vsum*

vtraque requirat, idque sit ita vis ex æquo (quanquam maior quædam ei qui in Reip. administratione versatur, ad res corporis, cæteráque eiusdem generis procurandas adhibetur diligentia) nam id parum refert: officiis tamen, & actionibus præstandis, plurimùm intererit. Nam & liberari, ad tuenda officia liberalitatis, pecunia opus erit: & iusto quidẽ certè ad remunerationes. Incertę enim sũt voluntates hominũ: multiq; cùm iusti non sint, præ se ferũt iustitiæ speciẽ, & se velle iustè agere, probè simulãt. Forti verò vires sunt necessariæ, siquidẽ virtute aliquid gerere velit: & tẽperanti, licẽtia. Quomodo enim perspici poterit, vtrum talis sit, an aliorum quispiã? Vtrum autẽ agendi consiliũ primáque susceptio plus in virtute possit, an ipsæ actiones, quasi in vtroq; cõsistat, quæstio est. Illud certè perspicuum est in vtroque perfectionem & quasi summã consistere. Atqui ad præstandas actiones multa desiderantur, eóque maiores & clariores sunt, At homo qui in rerum cognitione versatur, res eiusmodi ad hoc quidem munus fungendum, nihil requirit: quinetiam contemplationem (penè dicam) impediunt. Sed tamen quâ homo est, vitæque vsu cum multis implicatur, eâ officia cætera virtutis sequitur & facit. Quo fit vt huiusmodi rebus ei opus sit, vt humaniter vitam degere possit. Quòd verò perfecta, & omnibus numeris absoluta fœlicitas, in quadam contemplandi operatione consistat, hinc etiam perspici potest. Deos enim maximè beatos ac fœlices esse existimamus. Quas verò iis actiones tribuamus? Num iustitiæ? At nónne ridiculi videbuntur, si & res contrahant, & deposita reddant, cæteráque faciant eiusdem generis? An fortes dicemus, vt scilicet res asperas perferant, periculáque adeant ob eam causam, quia

honestum est? Num liberales? At cui largientur? Absurdum etiam videatur si numos, aut tale aliquid habeant. An verò temperantes? At quî esse possunt? An nõ laus sit importuna, & minimè ferenda prauis eos vacare cupiditatibus? Deniq; si per omnia actionũ officiorúmq; genera expatiemur, perexiguam sanè laudem & deorum maiestate indignam continere videbuntur. Attamen eos viuere omnes existimant: ergo & aliquid operari. Non enim par est, eos tãquam Endymionem dormientes facere. Sublata igitur agẽdi, ac multo etiam magis, faciendi ratione, quid tandem viuenti deo præter contẽplationem relinquitur? Itaq; præstans beatitudine dei operatio in contẽplatione consistat: necesse est. Ac proinde hominũ operatio vt queq; ad hanc proximè accedit, ita est beatissima. Idq; ex ea velut nota intelligi potest, quòd cætera animalia sũt omnia expertia beatitudinis, cùm sint huius generis actu ōmni ex parte priuata. Etenim deorum vniuersa est beata vita: hominũ verò, quatenus in ea lucet, quædam eius actus similitudo. At ex cæteris animantium generibus nullum beatitudinem consequitur: quòd cognitionis & contemplationis nullo modo sit particeps. Quàm ergo latè patet contemplatio, tam etiam beatitudo: & quò maior aliquibus inest cognitio & contemplatio, eò ampliorẽ fœlicitatem consequũtur: neque id ex accidẽte & aliena vi, sed per ipsam cõtemplationem. Est enim ipsa per se plena dignitatis, & omni veneratione prosequenda. Quare fœlicitas erit contemplatio quædam. Sed commodis tamen externis, cùm homo sit, beatus indigebit. Neque enim ipsa per se satis valet humana natura ad rerum contemplationem: sed etiam opus est & corpus valere ac vigere, alimentáque necessaria, reli-

quúmque vitæ cultum ſuppetere. Neo ſi beatus ſine bonis externis eſſe nemo poteſt, idcirco putandum eſt multis & magnis homini fœlici opus eſſe. Non enim in nimia quadam rerum omnium abundantia & affluentia, ſacietas & ſeipſa contẽta rerum copia, poſita eſt, neque ipſa actio. Poſſunt enim ij etiam qui terra marique non imperant, res gerere & magnas & preclaras. Etenim cui adſint modicæ opes ac moderatæ, poteſt ea efficere, & præſtare omnia quæ virtuti congruunt, idque planè ac perſpicuè cernere licet. Priuati enim homines nihilominus, ac multò etiam magis æquitatem colunt, quàm ij qui potentia & imperio excellunt. Satis igitur eſt tantùm opum ſuppetere, quantum ſcilicet ad virtutis actionem ſufficiunt. Erit enim haud dubiè vita beata eius qui virtutem colet, atque exercebit. Et Solon quidem beatos rectè profectò eos dixit, qui moderatis externis copiis res geſſiſſent quàm illuſtriſſimas, & temperatè moderatéque vixiſſent. Fieri enim poteſt, vt qui mediocres opes habeant, ea agãt quæ agẽda ſint. Anaxagoras quoq; nec diuitẽ, nec potentẽ fœlicẽ iudicabat, cùm negaret ſibi mirũ viſum iri, ſi ipſe multitudini (quę ex bonis externis, quorũ ſolũ ſenſum habet, homines iudicat) ineptus ac ſtultus videretur. Cũ rationibus igitur noſtris ſapientũ quoque ſententię congruũt. Quę magnã quidẽ habent illa quidẽ auctoritatẽ ad fidẽ faciendã: ſed tamen cùm de agẽdis rebus quæritur, tũ ex factis & vitæ ratione, in quibus eorum vis præcipua cernitur, veritas iudicatur. Spectanda igitur ita ſunt antedicta omnia, vt ad facta & vitæ rationem conferantur, quæ ſi cum factis cõſentiunt, comprobare: ſin diſcrepant, verba modò exiſtimare debemus. Porrò vt quiſque mentem vitæ actioníſque ducem maximè ſequitur, eamque

colit, éstque optimè animo constitutus, ita est Deo charissimus. Etenim si dij res curãt humanas, sicuti curare vidẽtur: profectò illud quoq; consentaneũ est, eos re delectari optima, & quæ generis societate cum ipsis sit cõiunctissima: cuius generis est mens: iísque adeò hominibus, qui eã ipsam rem amẽt & colant, beneficia reddere, gratiámq; referre, quòd eas res curent, quas ipsi charas habent, rectéque ac præclarè facta sequantur. Nec verò dubium est, quin hæc ipsa insint omnia sapienti. Ergo Deo charissimus est. Hunc verò etiam beatissimum esse par est. Quare sapiens hoc etiam nomine, maximè est beatus futurus.

Hæ igitur tales.) In Græco codice legendum est, ἐκανὸν δή, non vt legitur ἐκανὸν δὲ. Ad finem libri deest in multis exẽplaribus verbum σώζει, in illis verbis τὰ πῖα φθείρει καὶ πόλεις καὶ τὰ πῖα σώζει ἐν ἐκείνοις τῶν πολιτῶν. Quorum verborum est is sensus quem reddidi.

Cap. 9. *Sed quoniam de iis ac de virtutibus, itémque de amicitia & de voluptate satis multa dicta sunt, ad res velut primis lineis informandas & pingui quadam Minerua exprimendas, quæret aliquis, num ad exitum perductum sit nostrum institutum? an, vt fertur, cùm res agendæ traduntur, non est finis in contemplatione & cognitione positus, sed in actione potius earum? Ergo nec virtutem quidem satis est habere cognitam: sed danda opera est, vt & eam habere & exercere, ad vsúmque adhibere possimus, aut si quo aliomodò efficimur boni. At si verba quidem satis essent ad probos efficiendos, iure profectò Theognidis sententia, A nobis multa ac præmia magna ferent, eáque sibi quenque parare oporteret. Nunc verò valere illa quidem videntur ad hortandos excitandósque adolescentes, liberali ingenio præditos: eósque adeò qui ingenuis sunt moribus quíque verè honestatis studio ducuntur, faciles ac velut ductiles ad virtutem reddendo: pleroſque tamen non*

posse ad honestatem vtramque probitatem traducere. Neque enim pudore solent retineri, sed metu: nec deterret eos à vita facinorosa ipsa turpitudo, sed pœna. Cùm enim in vita animi perturbationibus obediant, suas quisque ac familiares sibi voluptates persequuntur, eáque omnia ex quibus oriuntur fugiúntque dolores contrarios. Honesti autem veræque voluptatis, quam nunquam degustarunt, ne notiones quidem vllas habent animo defixas. Hos ergo tales homines, quæ tandem vis orationis possit à peruersa vita ad rectam honestámque deducere? Non enim potest, aut non facilè potest, siquid est penitus insitum moribus atque inueteratum, id oratio euellere. Sed præclarè nobiscum agitur profectò, si iis omnibus adhibitis, quibus probi videmur fieri posse, virtutis compotes efficiamur. Bonos autem fieri alij natura putãt, alij consuetudine, alij doctrina. Ac illud quidem perspicuum est, quod hîc naturæ est, non esse illud in nostra potestate situm, sed à diuina quadam causa iis suppeditari qui verè sint fortunati. Orationis autem. & doctrinæ vis nequaquam idem apud omnes valet, sed debet antè, vt humus quæ semini futura est, sic auditoris animus quibusdam moribus excoli, vt rectè gaudere possit atque aspernari. Non enim audiat intelligátve orationem dehortantis is qui pareat perturbationibus, ex iísque vitam degat. Eum porrò qui ita sit affectus, quo tandem modo de sententia deducere possis? Denique non orationi obtemperare videtur perturbatio, sed nisi vi coacta, cedere non solet. Oportet igitur mores virtuti accommodatos, quodam modo antè inesse, quibus & honestatem amet, & turpitudine offendatur. Difficile autem est à puero, rectam vitæ viam ad virtutem ferentem assequi, nisi his

talibus legibus sit educatus. Nam cùm plerisque moderatè & constanter viuere molestum est, tum adolescentibus maximè. Itaque præscribi educatio & studia debent legibus. Nihil enim molestiæ adferant, si consuetudo adhibeatur. Nec verò fortasse satis sit adolescentes educatione rationéque viuendi recta diligenter esse institutos, sed quoniam oportet confirmatis iam ætatibus in iis ipsis studiis versari, ad eáque adiungere consuetudinem: idcirco in iis quoque, legibus opus est, omninóque per omne tempus ætatis. plerique enim vi ac necessitate potiùs quàm ratione, & pœna magis quàm honestate ad officium impelluntur. Quocirca latores legum putant nonnulli debere adhortari & incitare ad virtutem honestatis gratia: quòd consuetudine imprimis sint probi obtemperaturi: in eos autem qui parere nolint, nec bona indole præditi sint, pœnas & supplicia cõstituere. At eos qui sanari nullo modo possunt, planè exterminari. Nam bonum virum, & qui vitam ad honestatem dirigat, rationi obediturum: improbum verò qui voluptatis cupiditate incendatur, tanquam iumentum, dolore coërcendum esse. Quapropter dolores etiam aiunt eiusmodi extare oportere, qui voluptatibus, quibus dediti sunt, maximè repugnent. Si quis igitur bonus futurus est, primùm, vt dixi, rectè educari debet atque assuescere; deinde honestis studiis ætatem conterere: quæque flagitiosa sunt, nec inuitus, nec sua sponte admittere. Quæ quidem omnia ita fient denique, siquis vitæ ducem rationem quandam & mentem sequatur, & cui vis ad cogendum insit, rectam præscriptionem. Ac partium quidem imperium nec cogit, nec vim aut necessitatem adfert, neque cuiusquam hominis vnius omnino, nisi qui rex sit, aut simili alicqua potesta-

re præditus. At verò lex vim habet ad cogendum idoneam: quæ ipsa, ratio quædam est à prudentia quadam & mente profecta. Et homines quidem in eorum odium incurrunt, quorum obsistunt cupiditatibus, etiam si rectè id facere videantur. At lex non est invisa, non grauis, non molesta, cùm bonum æquúmque decernit. Jn sola autem Lacædemoniorum ciuitate, ac paucis aliis, legislatori curæ fuit educationis ac disciplinæ ratio. In plurimis hæc neglecta sunt omnia, in quibus pro sua quisque voluntate vitam agit:

Cyclopum more, vxorem natósque gubernans.

Ergo omnium rerũ nihil est melius, nihil præstantius, quàm si recta disciplina publicè sanciatur, quã omnes sequi possint. Quæ si publicè negligatur, tum decere videatur, vt priuatim quisque suis liberis atque amicis adiumento sit ad virtutem cõparandum, aut certè velit, & hoc consilium ineat. Quæ omnino facultas in eo maximè, ex iis quæ dicta sunt, inesse videatur, qui legum ferendarũ peritia valebit. A lege enim publicæ scilicet disciplinæ proficiscũtur: bonæ verò atque honestæ sunt, quæ bonis legibus continẽtur. Quę vtrum scriptæ sint, an nõ scriptæ, nihil referre videtur: nec vtrum vnus, an multi his instituẽtur: sicuti nec in musica, nec in gymnastice, aliísque studiis. Quemadmodũ enim in Repub. ius legitimũ, & quod moribus receptum est: sic domi priuatim paterna præcepta, & paterni mores atque instituta, valent: eóque magis quòd generis inter eos, & beneficiorum intercedit cõmunio. Amorem enim natura liberorum erga parentes iam antè conciliat, adeóque faciliorem parendi voluntatem. Iam verò singulæ institutiones à communibus differunt haud secùs quàm in medicina. Nam generatim omni homini qui febri iactatur, prodest inedia & quies: aliqui forsan non

prodest. Nec certè ludimagister pugilibus omnibus idem genus pugnæ præscribit. Singulæ autẽ res ita demũ accuratiùs tractari videbuntur, si propria singulis diligẽtia adhibeatur. Sic enim quisq; quod sibi operæprecium sit, melius assequetur. Sed ita denique summam curam & diligentiam rebus singulis & medicus, & gymnastes, & quiuis alius adhibiturus est, si genus totũ sciat: omnibus scilicet hoc prodesse, vel talibus. Scientiæ enim dicuntur, & sunt eius quod cõmune ac generale est. Verumtamẽ nihil fortè prohibet rectè rẽ aliquã vnam curari & administrari ab eo qui sit ille quidem inscius, sed tamẽ accuratè notauerit & obseruabit ea qua valet experientia, quæ quãque rem cõsequuntur: sicuti etiam quinam medici qui sibi sunt optimi, & tamẽ alteri nullam ferre opem possunt. Nihilominus tamen ad res vniuersas progredi fortasse debet, eásq; tenere quoad fieri poterit is, qui se volet esse artificem & rerum cognitione præditum. In iis enim sciẽtias diximus consistere. Ei quoque fortasse qui volet suo studio & diligentia siue multos, siue paucos meliores efficere, danda opera est vt legum condendarũ facultate instructus sit: siquidẽ legibus boni efficiamur. Quempiam enim eúmq; adeò qui tibi sit propositus, præclarè conformare, & rectè affectũ reddere, non est cuiuslibet: sed si quis hoc potest, profectò peritus & doctus. id quod in medicina videre licet, reliquísq; omnibus, in quibus diligentiæ & prudẽtæ locus est. Nũquid ergo id nunc exquirendum est, vnde, aut quo tandem modo rationem condendarum legum quis assequi possit? An vt in cæteris fit, ab iis qui Rempub. tractant, id petendum est? pars enim ciuilis prudentiæ videbatur. An non idem cernitur in ciuili scientia, quod in reliquis scientiis & facultatibus? In aliis enim eosdem constat & ipsas facultates tradere,

& earum munus officiúmque præstare: vt medici & pictores faciunt. At Reipub. administrandæ præcepta se profitentur Sophistæ esse dicturos: quorum nemo ea ipsa gerere instituit, sed in eorum actione versantur, qui Rempub. gerunt: qui hoc ipsum sua quadem naturæ facultate & experientia præstare potiùs videntur, quàm consilio atque ratione. Neque enim aut hæc mandant literis, aut de iis disserũt: etsi præstantius sit profectò, quàm vel iudiciales, orationes, vel conciones. Nec verò ciuili scietia eruditint suos liberos, aut alios quosdam suos amicos: quod tamen consentaneum erat, si id facere potuissent. Nõ enim aut Reipub. quicquam melius hac vi & facultate relinquere, aut quicquam sibi melius hac ipsa optare potuissent: quare nec iis quoq; quos charissimos habent. Non tamen videtur parum adiuuare experientia: alioqui ciuili prudentiæ consuetudo & vsus non faceret eos ad Rempub. gerendam paratiores & instructiores. Quocirca qui Reipub. administrandæ rationem scire cupiunt, iis necessaria experientia est. Qui autem sophistæ hanc profitentur scientiam, procul admodum ab eo absunt, vt doceant: quippe qui omnino nec qualis ipsa res sit, nec qualibus in rebus versetur, sciant. alioqui nunquam eam, eandem cum rhetorica, aut etiam deteriorem esse statuissent: nec facile esse putassent, leges ferre, ei qui probatus hominum opinione leges, coacerualset: quod ei tum eligere liceret: quasi verò delectus non sit intelligentiæ: ac rectè iudicare non sit maximum, quod in musicis animaduerti potest. Qui enim in rebus singulis experientia valent, ij rectè de operibus iudicant: quibúsque rebus, & quemadmodum perficiantur quæ oportet effici, intelligunt: & quæ quibus congruant. At imperiti satis ha-

bent, dum non fiat manifestum, recténe opus factum sit, an perperam, quod in pictura contingit. Leges porrò sunt veluti opera ciuilia. Quo igitur pacto quisquam per eas scientia legum ferẽdarum erit instructus? aut quæ sint optimæ iudicabit? Nam ne medicinæ quidem satis videntur periti fieri ex mediocorum scriptis: etiam si non solùm curationes conentur tradere, sed etiam quo modo curari ægri debeant, & quemadmodum sint adhibendæ curationes, suis cuiusque expositis affectionibus. Quæ vsuperitis adiumento esse ac prodesse videntur, insciis non item. Ita fortassis legum ac rerũ pub. collectio magno iis vsui erit, qui cognoscere & iudicare possunt, quid in iis rectum sit, aut contrarium, aut quæ quibus conueniant. Qui autem ea persequi volent absque animi aspectu, rectè quidem de iis iudicare, nisi fortuitò, non continget: quin tamen ad ea tractãda perspicaciores fiant, negari fortasse non potest. Quoniã igitur superiores, quæ ad legum ferendarum rationem pertinent, inuestigare prætermiserunt, melius est fortasse nos de iis magis ac magis considerare atque tractare, omninóq; de Repub. vt quæ in rebus humanis versatur philosophia, à nobis, quoad eius fieri poterit, vndique suis partibus omnibus perfecta absolutáque videatur. Ac primùm quidẽ si quid à maioribus singulatim rectè traditum sit, id persequi conabimur: deinde ex iis rebus publicis quas collegerimus, quæ res euertant ciuitates, & quæ conseruant, in quoque genere Reipub. perspiciemus: & quas ob causas aliæ rectè, aliæ contrà administrantur. His enim cognitis, maximè fortassis intelligemus & quis omnium sit optimus Reipub. status, quemadmodum singulæ constitutæ sint, & quibus legibus ac moribus vtantur. Ergo dicere ineipiamus.

FINIS.

BIBLIOTHEQUE DE L'UNIVERSITÉ DE FRANCE.